
MAXIMILIANI STOLL

MEDICINAE CLINICAE P. P. O. IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PRAELECTIONES
IN
DIVERSOS MORBOS CHRONICOS.

POST EIUS OBITUM EDIDIT ET PRAEFATUS EST

IOSEPHUS EYEREL.



TICINI MDCCLXXXVIII.

Typographiae Imp. Monast. S. Salvatoris.
Sumptibus) Balthassaris Comini Bibliopolae.
Praesidib. rei litter. permittentibus.

LECTORI.

Haec *Stolii* nostri, bonis omnibus desideratissimi, anecdota tibi traditurus, pauca quaedam me praefari debere existimo, ut scire liceat, quae fuerit praeceptoris optimi ratio has de morbis potissimum chronicis praelectiones conscribendi, et quibus ego maxime impulsus momentis, typis excudi haec opuscula curaverim.

Solebat *Vir optimus* quovis anno scholastico omne id temporis, quod a clinicis laboribus, et ab exponenda febrium doctrina superesset, tradendis aliorum etiam morborum descriptionibus impendere. Huic instituto has debemus de *scorbuto*, *rachitide*, *scrophulis*, *hydrope*, atque *lue venerea* praelectiones, quibus ante triennium collegia practica inchoabat. Reliquae praelectiones prioribus annis, iisque variis, fuerunt habitae. Cum magna

esset dicendorum copia, curta tamen temporis supellex, non de singulis morbis copiosum aeque sermonem potuit instituere, sed graviores modo doctrinas pertractabat, contentus, alias aegritudines per summa tantum capita attigisse.

Cum praevideam, fore quosdam, qui veloci calamo exceptas ex ore *Stollii* praelectiones, easque ob hanc ipsam rationem saepissime hiulcas, non raro barbare conscriptas nobis velint obtrudere, malui has ipsas praelectiones, quas mea hac versabar manu, typis edere, utpote certus, vel unicam *Stollii*, nitide, atque ea modestia, quae huius viri prorsus singularis erat, communicatam scriptiunculam iucundiorem fore eruditis, quam ventosa illa multorum loquacitas, quae integro volumine persaepe

Ampullas proiicit, et sesquipedalia verba.

Vale.



I.

SCORBUTUS.

A scorbuti descriptione exordium facimus, cuius hic decursum et symptomata recensebimus, ut dein et de natura morbi, et de legitima illius curatione opportunius disseram.

Multa sunt, et inter sese plurimum differentia symptomata, quorum pleraque in unam summam collecta diagnosim morbi suppeditant.

Omnium primo ea symptomata recensebuntur, quae in omni et singulo scorbuto occurrunt, quae aut essentialia aut pathognomonica audiunt; 2. illa symptomata exponentur, quae variabilia, abesse subinde possunt, utut adsint persaepe, et hoc ipso accidentalia nominantur. Haec ultima symptomatum classis

debetur aut idiosyncrasiae aegri, aut morbis complicatis cum scorbuto, et coincidentibus; aut epidemiae regnanti; aut causae demum cuicunque accidentali.

Priusquam autem hoc ordine utar, et symptomata dispescam in ea, quae essentialia, itemque ea quae accidentalia sunt, integram imaginem sistam scorbuti

Nascentis
Increscentis
Adulti
Consummati.

Non enim sufficit morborum symptomata nosse, sed oportet quoque ordinem, quo sese excipiunt, et successionem, ac mutuum inter sese habitum didicisse eum, qui iustam diagnosin voluerit formare.

STADIUM PRIMUM.

Primo omnium observatur facies pallida et vultuosa simul, labiorum et caruncularum in oculis color subvirescens, solitudinis et quietis amor, uti et tenebrarum. Viget interim appetitus. *Praecursoria scorbuti symptomata.*

STADIUM SECUNDUM.

Facies chlorotica fit et cerea; dein obscurior et sublivescens.

Animi maior maestities, pusillanimitas, dedolatio, et post levissimum motum anhelosa brevisque respiratio; cave tamen, ne hydropem thoracis inde arguas. Atque haec ultima duo symptomata constanter adsunt.

Mox his praegressis pruritus gingivarum accedit, earum tumor, et sanguinis, si vel levissime perfricentur, profluvium; earum cae-

ru-

rulescens rubor; mollities laxa, fungosa, excrescens, et putredo tandem; anima foetens.

Cutis sicca, anserina; subinde maculosa, maculis caerulescentibus, veluti a sugillatione, purpurascentibus, nigris, cum limbo initio flavescente; magnitudine varia, lenticulae, pisi, integrae et volae; figura irregulariter orbiculari, plerumque in femoribus et cruribus; sed et in brachio, thorace, trunco toto: rarissime in facie.

Oedema crurum, vestigio appressi digiti diutius manente, quod pituitam potius, quam aquam arguit.

Subinde in loco forte contuso antea, aut vulnerato, aut ulcerato, accedentibus causis scorbuticis, initium morbi observatur. Fit et ibi loci sugillatio, aut plaga caerulescens. Nascitur quoque ulcus scorbuticum, cuius facies haec est.

Pus ichorosum, tenue, foetens, sanguinolentum, quod dein instar grumosi sanguinis ulcus obtegit; subiacens carnosa portio mollis est, fungosa, putrescens. Detergentia et digestiva nil prosunt, non enim inde depurantur. Margo ulcerum horum livescit, luxuriatur, sanguinem fundit, praecipue carne hac saepe plurimum excrescente cultro rescissa, ubi et haemorrhagia accedit. Levis contusio, vulnusculum in homine scorbutico hanc faciem induit: e. g. plaga per venae sectionem; differunt ergo plurimum haec ulcera scorbutica ab aliis ulceribus v. g. tibiarum: his saepe mercurialia opitulantur, illis vero nocent.

Dolores scorbuticorum in artubus, dorso,

lumbis, thorace vagi, fixique sunt, uti arthriticorum; item saepe nocturni; observatur spuria pleuritis, sputum cruentum in scorbuticis saepissime.

An scorbutus pertinet ad febriles morbos? saltem subinde?

Respondeo nunquam: etsi subinde cum febre complicetur, eaque varia, et cum inflammatoria, saepius autem cum putrida, quae omnium pessima est complicatio.

Exanthema scorbuticum est maculosum, caerulescens, latum, purpurascens, petechiforme. Hucusque primum stadium scorbuti habetur.

STADIUM TERTIUM.

Prioribus addit:

1. Artuum contracturas.
2. Leipothymias vel in levi corporis motu.
3. Oedema crurum, surarum durum, sebaceum, ligneum.
4. Haemorrhagias varias narium, pulmonum, intestinorum, uteri; haemorrhagiae internae saepe cito letales.
5. Gingivas (faucibus et labiis illaesis) tumidas, fungosas, sanguinolentas, dentibus nigris, defluentibus, et maxilla arrosa.
6. Exostoses scorbuticas, spinam ventosam scorbuticam.

Viget interim appetitus, vigent sensus; at animi ingens pusillanimitas.

STA-

STADIUM QUARTUM.

Pessima symptomata complectitur. Febris subinde putridissima; letales haemorrhagiae narium, pulmonum, intestinorum, vesicae, ventriculi, haemorrhoides; haemorrhagiae per loca apparenter illaesa e. g. ex cute brachii. Icterus insanabilis, et infarctus varii viscerum abdominalium. Hydrops thoracis, abdominis frequenter; pessima colliquatio et putredo. Mors.

Symptomata pathognomonica et essentialia sunt gingivae putridae, absumptae, aut fungosae; et maculae caeruleae, purpureae, nigrae corporis.

Circa causas diversimode et est disputatum, et adhuc dum disputatur. Interim sequentia per observationes.

1. Vix observatus est unquam scorbutus, quin aër ambiens et inspiratus fuerit humidus. Hinc depressiores plagas mundi infestat magis; hinc in depressioribus partibus alicuius urbis, ut hic Viennae in suburbiis ad Danubium sitis, S. *Leopoldi*, et *Rossau*. Hinc in cavis subterraneis frequentior quam in suprema contignatione. Hollandiam fere incolit semper.

2. Si idem aër *humidus* simul sit putridis halitibus, multoque phlogisto vitiatus, celeriores progressus morbus facit. Hinc in locis conclusis, navi e. g. frequentissimus, et cum putridissima febre saepe iunctus.

3. Aër humidus, conclusus, non renovatus, seu aëris puri seu dephlogisticati penuria pressus, et simul frigidus, plures et periculosiores scorbuticos facit.

4.

4. Si stantibus hisce causis accedit victus crudus, farinosus, caseosus, oleosus; item inopia vegetabilium recentium, et demum moeror animique pathemata tristia, et tandem desidia, vestitus madidus etc. fere semper gravissime afficiuntur scorbutici, et pereunt plurimi.

Constantissima causa est mador atmosphaerae continuus, maxime frigidus: reliquae causae solae non sufficiunt.

Plurimum ad scorbutum praedisponunt morbi quidam praegressi: haemorrhagiae, febres longae qualescunque, potissimum lues venerea, et rachitis, ac usus mercurii.

Causa proxima videtur esse putredo, sed an totius animalis, an certae cuiusdam partis, humoris? Egregius *Hoffmannus* archiater monasteriensis ostendit omnium primo *humorem osseum* putrescere in scorbuto, indeque vitium per reliquum corpus propagari. Id ostendit ex eo, quod reliquo corpore sano adhuc ossa in principio afficiantur vitio hoc putrido. Per hoc videtur differre a febre putrida, ubi vitium est in sanguine ipso.

Divisio est in *acutum*, qui celeres progressus facit, utut apyretos sit: in *chronicum*, qualis plerumque esse solet. In *originarium*, et in *secundarium*, scilicet post alios morbos natum. An in *terrestrem* et *maritimum* apte dividitur? neutiquam. An in acidum, alcalinum, muriaticum, et quare non?

Cura fit: 1. Diaeta antiscorbutica. 2. Removendo causas excitantes. 3. Antisepticis remediis in genere. 4. Remediis antisepticis peculiaribus modo specifico ipsa adeo ossa penetrantibus.

Dixi

Dixi 1. diaeta: quae antiseptica sit oportet, ex pane bene fermentato, vegetabilibus recentibus, cerevisia, brassica fermentata. Poma aurantia, et fructus horaei quivis.

2. Removendo causas occasionales. 1) mutando locum depressum et humidum, migrandoque in loca editiora. Hinc qui in depressa urbis parte, in loco subterraneo habitant, sanantur sola mutata habitatione. 2) Aerem, si habitatio mutari nequeat, siccando, igne ex lignis aromaticis excitato, pavimentum sternendo ex arena sicca. Usus ventilatorum aerem renovabit, non autem siccabit. Tamen is est saepe necessarius in nosocomiis, ergastulis, ubi flamma aromatica simul potest excitari.

Quod si aquae putrescentes scorbutum efficerent potissimum, ea erit cum alia commutanda, aut cum *malto* coquenda in forma decocti: ita volatilia coctione abiguntur, et aqua mutabitur in decoctum, quod facile fermentationem acidam subit, et antisepticum est. Aqua marina potabilis fit sola simplici destillatione ex inventione *Lindii*.

3. Frigus, si causa sit scorbuti, corrigendum id erit foco, vestitu, exercitatione corporis, moderato spirituosorum usu, migratione in terras calidiores.

Scorbutum symptomaticum curamus et his modis, et simul tollendo morbum, qui pro suo effectu vel symptomate scorbutum habet.

4. Specificis remediis: subinde is gradus morbi est, quem ablatis licet causis tollere ne-

nequeas. Hinc peculiari remedio, eoque specifico opus est, et potenter antiseptico. Hinc tantus numerus est antiscorbuticorum, quorum pleraque sunt antiseptica; reliqua autem, etsi non antiseptica, curarunt scorbutum symptomaticum. Nominatiora tamen antiscorbutica sunt sequentia:

1. Acida vegetabilia: acetosa, acetosella, poma citrea, aurantia, brassica fermentata, omniaque ea, quae acidam fermentationem subire apta sunt.
2. Acida mineralia, uti acidum salis, vitrioli ec. Acida mineralia dulcificata.
3. Amarae plantae: trifolium, absynthium, centaureum, nasturtium ec.
4. Antiseptica aromatica: cinnamomum, cortex winteranus, peruvianus; turiones pini, abietis, ec.
5. Plantae quaedam acri volatili dotatae, et antisepticae, quae fere solae per eminentiam antiscorbuticae dictae sunt: e. g. raphanus, sinapi, cochlearia, squilla, ec.
6. Aqua calcis, de cuius antiseptica vi constat, cum et sine lacte pota:
7. Maritalia; vinum martiale.
8. An et mercurius?

An perinde est, quoniam ex hisce dictis antiscorbuticis utaris? quisnam canon practicus erit hic statuendus?

Respondeo. In scorbuto originario et protopathico semper adhibenda antiseptica, quae et antiscorbutica sunt; cum eius natura

in

in putredine consistat. Sed cum remedia antiseptica habeant alias adhuc virtutes, cumque dentur antiseptica refrigerantia, antiseptica tonica, antiseptica stimulantia ec. hinc selectus faciendus est remediorum antisepticorum, seu, quod idem est, antiscorbuticorum.

Sic scorbutus in loco frigido, humidove contractus, in plagis borealibus, plerumque antiseptica stimulantia, incidentia, resolventiaque poscit. At vero contractus in plaga humida quidem, at coelo calidiori, australi, prosunt fere sola antiseptica, seu antiscorbutica refrigerantia, saponacea: priora remedia pessimam hic inflammationem inducerent. Huc quoque pertinent limonia, aurantiaque, conserva acetosae, acetosellae; beccabunga, fructus horaei, eorumque succi, brassica fermentata, acida mineralia.

In primo autem casu scorbuti, nempe coelo frigido humidove contracti prosunt: calor foci, vestitus bonus, motus corporis, vinosa moderata, plantae aromaticae, amarae, acres, resinosae, e. g. turiones pini et abietis, et potus inde paratus; raphanus rusticanus, cochlearia, cepa, allium; acida mineralia dulcificata. Acida haec mineralia sola minus prosunt, at cum succo vegetabili iuncta multum praestant e. g. cum succo cochleariae, raphani rusticani.

In scorbuto ab alimentis semiputridis et multo sale conditis prodest aqua calcis, vel sola, vel cum lacte pota. Id remedium et multum valet in scorbuto ab aliis causis nato.

Cum

Cum vero alii complures morbi scorbutum tanquam concausa producere valeant, quam speciem scorbutum symptomaticum apellant, constabit liquido, omne illud indirecte nominari posse antiscorbuticum, quod causae praecedenti praedisponenti vel occasionali opponitur. Sic praegressae intermittentes, biliosae, putridae, morbus hypocondriacus, hystericus; iactura sanguinis per haemorrhagias; rachitis, lues venerea; annonae charitas. Quicquid ergo his morbis medetur, et scorbuto inde oriundo medebitur persaepe.

In scorbuto cum lue complicata tollenda lues mercurio. Mercurius autem scorbuto non medetur, eum potius reddit peiorem. At praemisso hydrargyro scorbutum residuum sanat sarsaparilla, guaiacum, bardana.

Interea protioribus et gravioribus symptomatibus occurrendum est; sunt ea:

1. Aphtae scorbuticae.
2. Ulcera crurum scorbutica.
3. Anchyloses.
4. Diarrhaeae.
5. Dysenteriae.
6. Arthritis scorbutica.
7. Haemorrhagiae variae, et per varia loca, saepe per nares, gingivas, pulmones, alvum.

Ceterum plura antiscorbutica alia tentari possent, scilicet:

1. Radix rubiae tinctorum, quae ossa sola tingit, estque valde antiseptica, in carie ossium, forte etiam in lue ossa occupante, in spina ventosa, in rachitide praeprimis valeret.

2. Sabina carioso ossi inspersa cariem sistit potenter. Idem facit balneum cum sabina paratum.

3. Loco sabinae adhiberi quoque potest calamus aromaticus. Radix rubiae tinctorum diutius sanguinem praeservat a putredine, quam cortex; at radice hac multo diutius sabina et calamus aromaticus.

4. Tentari quoque ulterius posset guaiacum lignum, sassafras, asa foetida.

Sed an haec, quae externe adplicata tantopere prosunt, et iuvant, assumptane an viribus ventriculi non subiguntur? id vero tentandum restat.

Videamus, quibus formulis uti soleamus:

1.

R. Seri lactis vel spiritu vitrioli vel cremore tartari parati. lb. ij.
Syrup. rad. V. aper. unc. 1. ß.
M.
Omni hora vasculum.
In scorbuto calido, acuto.

2.

Item lac ebutyratum: pro potu communi.

3.

R. Lactis vaccini recentis. Mensur. 1.
Bulliant per momentum, dein affunde.
Vini boni austriaci vel rhenani q. s. ut coaguletur.

4.

Succi expressi.

5.

R. Lactis vaccini rec. lb. iij.
Bulliat per momentum, dein adde

Vi-

Vini boni austriaci vel rhenani lb. ß.
bulliat adhuc per momentum donec
colostretur, colat. D.

6.

R. Conserv. cochlear.
— — trifol. fibrin.
— — nasturt. aquat. aa. unc. j.
cremor tartari. unc. ß.
pulv. rhei elect. scrup. ij.

M.

Sumat omni bihorio cochlear coffean.

7.

R. Raphan. rustican. unc. IV.
rad. calami aromat. unc. I. ß.
cortic. aurant. condit. unc. ß.
Infunde frigide cum vini vel cerevisiae mensur. I. ß.

M. D.

8.

R. Malti unc. iij.
Coque per $\frac{1}{4}$ hor. s. q. Aquae.
Colat. lb. IV.

adde

Syrup. ribesior. unc. iij.
Spirit. vitriol. q. s. ad gratum acorem

M. D.

9.

Pro gingivis: spiritus cochleariae cum aqua salviae, et tinctura laccae aluminosa.

II.

RACHITIS.

Rachitis, seu morbus spinae, nostrae contemplationi subiicitur.

Id nomen sortitus morbus est, quod frequentissime et omnium ferme primo spinam dorsi afficiat, illam varie curvando, unde gibbositas.

In nostris terris notus morbus est sub nomine morbi anglicani, *englische Krankheit*, *doppelte Glieder*, *unterwachsen seyn*, *grosse Leber*, *u. s. w.* duplicatura audit, hepar magnum, abdomen magnum, *Wechselbalg*.

Morbus hic primum a Glissonio adcuratius descriptus est, et ante 1612 non observatus. Eum dico non observatum, etsi probabilissime semper exstiterit, et generi humano sit coaevus.

Amat praeprimis aetatem infantilem, ita, ut plerumque primam dentitionem insequatur. Vidi serius, et quidem post secundum annum, quo tempore ipsum rarissime prima vice comparere asserunt plerique, eundem prorupisse.

Frequentius nihilominus includitur intra haec tempora, quae primae dentitioni, et initio anni tertii aetatis interiacent.

Rarius, et tunc quidem in solis ferme fe-

mellis, circa pubertatem, et paulo ante eandem sese manifestat.

Morbus est compagis osseae primario; serius enim, at minus luculenter, aliae quoque corporis partes afficiuntur; ut id circo vel ex hoc capite, non inepte post scorbutum, cuius originem primam pariter in ossibus quaerunt, pertractetur.

En iam potiora ejusdem symptomata: aeger, infans e. g. minus alacer apparet, imo si paulo adultior fuerit, aut is morosus, somnolentus, pallidus, cute pendula, et velut in atrophiam delapsurus. Viget interim appetitus, quin imo voracitas adest, non explenda, sed unde corpori nil accedit emolumenti. Aeger, qui iam gradiri poterat, nunc ne quidem pedibus insistit. Plures nunc sensim sine sensu defigurationes subnascuntur: potiores recensebo.

Caput in quibusdam vim morbi peculiariter patitur. Fit enim frons protuberans multum, et veluti angulosa, temporibus intropressis. Distingui tamen debet haec conditio frontis a nativa protuberantia. Suturae dehiscunt magis, et sola calvaria amplior evadit, quam pro facie et reliquis capitis partibus.

Dentes tarde, difficulter prorumpentes, flavi, cinerei, nigrescentes, excidentes, novis difficulter subcrescentibus.

Collum tenue, longum saepius, at amplis venis iugularibus.

Mentis conditio varia: nunc enim hebetes sunt, stupidi, somnolenti, proclives in convulsiones (si nempe caput morbum rachiticum

ticum peculiariter patiatur) subinde hydrocephalus aut una adest, aut nascitur: incurabilis omnino.

Subinde vero, si calvaria a morbo intacta maneat, et aliae potius compagis osseae partes afficiantur, ingenium praecox, exquisita sensuum omnium facultas observatur, ut hinc in proverbio sit, infantes, qui cito nimis sapiunt, morbidos esse, neque facile in vita mansuros.

Sternum totum aut in medio, aut alterutro in latere protuberans, costae autem intropressae, male curvatae, latae, at circa coniunctionem cum parte cartilaginea tuberosae, nodosaeque. Eadem quoque clavicularum conditio est.

Spina dorsi frequentissime variis in locis, et varie curvata deprehenditur, unde et morbo nomen datum.

Curvatae autem et protuberantes tibiae; inde pumila corporis statura. Ossium mollities insignis, subinde eorundem friabilitas.

Articulationes maiores solito, unde duplicaturae, maxime ad carpos.

Vidi quandam osseae compagis conditionem, quam semper huc putavi trahendam esse. Vidi nempe praecox et ingens corporis incrementum, ossibus plurimum elongatis, at tenuissimis. Vidi hoc in puellis et iuvenibus tempore pubertatis, indeque (nam magna simul debiliats, et emaciatio subinde simul adfuerat) curam antirachiticam profuisse. Nonnunquam ea est thoracis ossei compressio,

 ut

ut reliquo corporis habitui non respondeat. Novimus, dari quosdam gracili et iunceo corpore praeditos, tenui collo, alatis scapulis, fibra tenera, et delicata, atque exquisite sentiente; genis roseis, ingenio praecoci. Hi labe rachitica serius sese manifestante affecti mihi saepe videbantur. Tussiculosi, catarrhosi, haemorrhoici, tandem phthisici evadunt, atque in flore aetatis pereunt. Integrae tales familiae sunt, ut malum certo sit haereditarium, inque seros nepotes propagetur, nisi forte fortuna, aut alterutrum parentem proles sequantur meliori sanitate donatum, vel vero matura medicatio tonica, et antiarthritica accedat.

Verum et alia symptomata signa suppetunt rachitidis praesentis. Carnium musculosarum flacciditas, debilitas, consumptio, aut fungosa conditio: hinc est, cur quosdam videamus obesos, pastaceosque, alios autem atrophicos. Hinc fit, ut qui iam gradiebantur, nunc gradiendi sint impotentes: hinc veluti inferiorum artuum paralysis.

Subinde habitus est emphysematicus labiis et oculorum canthis pallidissimis. Vox gravior, quam pro aetate.

Morbi frequentes convulsivi, epilepsia per vices, maxime in levi motu febrili, itemque ferme semper ordiente dentitione.

Mirandum est infantes rachiticos variolas paucas, easque benignas habere, meliusque valere post inoculationem; fors non tam inoculatio, quam vitae regimen prodest, quia aëri frigido exponuntur, corpusque exercent.

Hae-

Haemorrhagiae frequenter infestant rachiticos, perniciosae saepe, quia corpus emaciatum magis debilitant, atque exhauriunt.

Acidum rachitici spirant; saepe verminosi sunt, ita, ut si adsint symptomata rachitica, saepe illa in acidum vel vermes referantur, et si dantur tum evacuantia, male curantur. Praeterea observatum est:

Non quovis anni tempore aeque valere rachiticos: sic aestate melius se habent, quam tempore australi, frigido, humidove.

Quaeritur, an ad febriles morbos pertineat, an necessaria febris ad rachitidem?

Respondetur. Per se febris non adest, neque definitionem ingreditur; tamen in progressu morbi febris accedit lenta, vespertina, nocturna; corpus tunc emaciatur, et lenta morte pereunt aegri. Si thoracem, pulmones febris afficiat, tunc saepe respiratio impeditur, uti asthmatici respirant, tussique humida vel sicca infestantur, qua febre tabidi, convulsi, imo velut apoplectici, vel morbo infantili epileptico moriuntur.

Alia conditio cadaveris est: 1. mollia, flectilia sunt omnia; calorem diutius servant; corpus non riget. 2. Sanguis per os vel nares effluxus aut non, aut tarde coagulatur. 3. Hepar alieni coloris; saepe subflavescens, subalbidum, mole maius. 4. Bilis aquosa, mucosa, excolor, aut nulla. 5. Mesentericae glandulae praetumidae.

Indagandum est, quae huius morbi sit divisio.

I. Divisio in *acquisitam*, a causis post-

modum enumerandis: in *haereditariam*, videmus enim familias integras rachiticas, gibbosas.

II. In *originariam* et *deuteropathicam* dividitur. *Originaria* est, quae nullo alio morbo praecedente oritur; *deuteropathica*, quae ex morbo aut praecedente, aut una praesente nascitur.

III. In *Endemicam* Anglia, Hollandia loci item depressi, paludosi scorbuto obnoxii; eaedem quoque causae, quae scorbutum in adultis producunt, saepe quoque producendae arthritidi sunt opportunae.

An et *epidemica* datur rachitis? an ab anni tempore morbo aliquid accedit? puto.

An et connata? non vidi: legi tamen, et id fieri posse probabile est.

Causae praedisponentes et excitantes multae sunt:

1. Parentes debiles, morbis exhausti, olim aut nunc occulte venerei, seniculi, aut aetatis valde imparis, salivationem frequentius passi, molliter viventes, vel et victu pauperrimo usi.

2. Habitatio loco angusto, humido, depresso; sordities.

3. Lac vetustum nutricis seniculae, morbidae, gravidae, scrophulosae, occulte venereae, cancrosae, melancholicae. Lochiorum defectus. Pultes.

4. Frequentissima rachitidis causa sunt morbi infantum praegressi, tales praecipue, qui diu durarunt, quae cum magna virium iactura, maxime sanguinis, cum longo alvi

fluxu

fluxu iungebantur. Hinc tarda, difficilis, et morosa dentitio: post hanc enim plerumque est rachitidis initium. Tussis convulsiva. Longa intermittens. Ablactatio; curae evacuantis ob abusum. Vermes, pituita, achores, etc. usus acidorum, acescentium nimius.

De causa proxima quaesitum est, in quo ea consistat? variae vigent opiniones.

I. Asserunt non pauci eam esse syphiliticam, sed larvatam, fractam: rationem addunt, quod saepe venereorum olim parentum proles fiant rachitici; verum parentibus et sanis, a luoso miasmate liberis, sunt non raro, quin saepe proles rachiticae.

Rachitidem solus mercurius nunquam sanat, nisi eo in casu, ubi nempe tanquam causa praedisponens labes syphilitica adest: tunc autem mercurius cum antirachiticis.

II. Sunt qui in *acido praedominante*, ossa emolliente, sanguinem solvente causam proximam statuant, cum 1. os ipsum aceto, aut diluto acido vitrioli maceratum mollescat. 2. cumque antacida, ostracodermata e. g. sal tartari sapoque curarint rachitidem.

Verum causa praedisponens potest esse, estque etiam acidum; interim ipse morbus nunquam pertinet ad morbos ab acido. Rarius sanant absorbentia sola, et forte nunquam, nisi aliis remediis iuncta.

III. Miasma alii peculiare esse, esseque id novum. Verum tollitur methodo universali tonica, non autem specifica. Totque causas productrices habet, debilitantes omnes, ut ad

miasma peculiare recurrere opus non habeas.

Verum an novus morbus? non puto: novimus enim fuisse ab omni aevo gibbosos, pumilosque, id est, evidenter olim rachiticos: Thersites ille Homericus ducum in exercitu Graecorum insignis convitiator, exiguae staturae malaeque, humeris contractis, acuminato capite, et gibbosus fuerat, sat certo in infantia rachiticus.

Causa proxima est peculiaris et praeternaturalis mollities compagis osseae, seu totius, seu ex parte. Inde varia defiguratio, incurvatio, excrescentiae, tuberositates, elongationes, prout aut vis *musculorum*, aut *impetus sanguinis*, aut corporis *pondus* egerint.

Compagis osseae flexilitatem, mollitiemque praeternaturalem rachitidem constiture dixi: id non ita intellectum volo, ac si aliarum partium vitia non adessent; illa supra sunt recentia pertinentque ad signa *debilitatem*, *mucosam aquosamque* humorum conditionem notantium.

Methodus medendi inde patet.

Auferendae causae remotae sunt, iisque ablatis primum aut solius *naturae* ope, aut *remediis tonicis* sanentur. Sola tonica raro sufficiunt, nisi prius causae remotae tollantur.

Habitatio sit in loco edito, aëre recenti, sicco, lignis aromaticis lustrato.

Motus vero infanti est necessarius, non ille in cunis, sed in curriculo ad id apto. Mala est consuetudo matrum nutricumque,

con-

continuum somnum conciliandi infantibus, quiete summa, opio etc.

Ferme omnes nutrices hoc faciunt clam opiata propinando. Vidi eiusmodi proles assiduo dormientes, ut dein rachitidem sibi contraxerint; sed nutrices ideo somnum inducunt, ut nempe ab onere per aliquot saltem horas liberentur. Hinc ab aliis gestari aut circumduci statis horis infantes debent. Est autem haec gravis observatio. Solis recens natis longior somnus convenit.

Abstinentia a potu theato, aqua tepida, oleribus meris, pinguibus, farinosis.

Peccatur victu nimis tenui subinde, ubi adultiores solo materno lacte vivere coguntur. Saepius tamen peccatur victu nimio, crassiorique, quam ut debilis ventriculus ferre possit. Diaeta siccior, eupepta tamen, tonica, antacida, ex carne tenera, tosta, pane bis cocto. Pro potu sit *pauxillum* cerevisiae bonae, vini austeri, medicati. Decoctum bis, terve de die, aut infusum corticis peruviani cum vel sine coffe; decoctum rubiae tinctorum, radicis cichorei, corticum aurantiorum.

Pro potu communi aqua aut simplex, aut ex qua nodulus suspenditur ex rheo, corticibus conditis, e. g. aurantiorum, et cortice Winteranon.

Si causa praedisponens fuerit acidum, proderit limatura ferri cum eleosacharo, aut guttae antacidae, alcalinae etc.

R. Aquae foenic. unc. ij.
Sal. tart. scrup. ij.
M.

D.

D. ter de die guttae 30. 50. 60.

Item aliud egregium medicamentum sequens est.

R. Sapon. venet.
Extract. helen. aa. dr. j.
Pulv. rad. ari. scrup. ß.
— cinnamom. gr. VI.
— ostracodermatum.
Sachar. albi — aa. dr. VI.
M.

Bis terve de die dimidium parvum cochlear vel totum.

R. Sapon. venet. dr. j.
Pulv. cort. aurant. condit. dr. iij.
Sach. alb. unc. j.
M.

D. ter de die cochlear coffee.

R. Rad. rub. tinct. dr. ij. unc. ß. (prout aetas)
Consciss. contus. coq. s. q. a. p. ¼ h.
Colat. lb. ß adde
Syrup. 5. rad. aperient. unc. j. ß.
M.

D. quater per diem 2 — 3 cochl.

R. Rad. rub. tinct. alcholis.
Pulv. ostracoder.
— sach. alb. aa. unc. ß.
M.

D. quater per diem cochlear. coffee.

Sed palmare remedium sunt ambulatio frictio, lotioque cum aqua frigida, et potus coffee cum cortice.

Sub hac methodo magnam emendationem iam intra duos fere menses videbis; hanc si

non

non experiaris, certus esto aut remedia, uti fieri solet, a curatricibus infantum non administrari, aut aliam subesse causam, alium esse morbum complicatum e. g. venereum, scrophulosum, scorbuticum.

Cura longa sit, in annos protracta subinde, et constans. Et si etiam remedia tamdiu non dentur, saltem reliqua vivendi ratio sit constanter *tonica*.

Methodo hac diutius protracta, ossa curvata, protuberantia, iterum suapte saepius redeunt ad iustam nativamque conformationem.

Usus thoraculorum nil valet: valet tamen situm lecti, sellaeque frequenter mutare.

III.

SCROPHULAE.

Sub nomine scrophularum tumores glandularum intelliguntur chronici, pertinaces, plerumque indolentes, subduri, submolles, mobilesque.

Glandulae colli, submaxillares, subaxillares, mesenterii, saepius afficiuntur: subinde et glandulae mammarum.

Dignosci probe debent a scirrho, cum longe alius sit utriusque exitus. Scirrhus durus, veluti lapideus, tuberosus et inaequalis.

Con-

Confundi non solum cum scirrho, sed et cum struma solet, seu cum tumore glandulae thyroideae. Verum haec glandula rarissime solet esse scrophulosa; sique eius tumor adsit solitarius, chronicus, indolens, in homine ceterum sano, sique sit endemicum simul malum, strumam dignosces a scrophula.

Scrophulae plerumque in pueritia nascuntur, et in adultam usque aetatem persistunt; rarius tum primum observantur, ubi quis iam adolevit.

Plerumque per omnem vitam permanent non sanandae. Rarus ruri, frequens in urbibus morbus. Pauci tamen inde moriuntur.

Causae remotae fere omnes illae sunt, quae rachitidem producere solent, praecipue autem sequentes: labes haereditaria a parentibus scrophulosis, olim venereis, arthriticis accepta. Commoratio in loco palustri, humidoque, non perflato; victus farinosus, crudus, caseosus. Immundities. Otium. Occulta lues.

Causa proxima ignoratur: an sit miasma specificum et sui generis? an semper siphylitica, quod non videtur, cum raro mercurialibus sanentur, et omnino nunquam, nisi in complicatione cum lue. An arthritica materies est?

Dividuntur scrophulae divisione vere practica in *protopathicas* et *deuteropathicas*, eos nempe, quae ex alio morbo praecedente, ex lue plerumque nascuntur, et scrophulae venereae appellantur.

Item

Item in *internas*, mesenterii potissimum, quas ex abdomine tumente, artubus interea macilentis, colore pallido, carne flaccida, dentibus malis, artuum doloribus vagis, alvo irregulari, febricula frequente sine nota alias causa; efflorescentiis cutaneis, maxime capitis; ex glandulis hinc inde colli tumentibus; item ex spina ventosa.

Item in externas, glandularum colli, submaxillarium, subaxillarium, inguinalium. His obortis saepe sanitas aliquantulum emendatur; abdomen durum, maxime praecordia tumida duraque mollescunt, conciduntque.

In scrophulas indolentes, inflammatas, suppuratas, cancrosas.

Plerumque non dolent. Subinde lenta inflammatio accedit. Fit suppuratio totius glandulae, ubi loco puris boni materies flava et pendula, mucosaque educitur, ulcere diu aperto manente, difficillime claudendo, et foeda cicatrice obducto tandem, saepe iterum sponte aperto.

In scrophulas *veras* et *larvatas*. Certum enim est scrophulas in alios morbos commutari, hosque in scrophulas abire, ut horum morborum inter se identitatem sat luculenter videas.

Larvatur autem hoc virus scrophulosum sub sequentibus morbis; scilicet:

1. Ophtalmia scrophulosa.
2. Crusta lactea.
3. Labii superioris tumor.
4. Herpes.
5. Atrophia seu tabes.

6. Phthysis scrophulosa.
7. Achores.
8. Tinea.

De cura scrophularum in genere, dein vero de cura morborum a viru scrophuloso oriundorum agendum erit.

Scrophularum curatio ut apte instituatur, id poscit, ut causae remotae, quarum plures antea descriptae fuere, tollantur. Habitationis et victus ea ratio sit, quam rachiticis convenire asserebam. Maxime pinguia, farinosa, terrestria etc. nocent. Sed tenuissimo quoque, vappidoque, ex aquosis mere, ex oleribus, etc. victu peccatur aeque. *Dioeta* fit *restaurans.* Ceterum sequentia maxime sunt indicata: Taraxaci radix, cum vel sine cichoreo, saturissimum et praelo expressum decoctum, ubi utriusque radicis plures unciae accipiuntur e. g. extractum graminis liquidum; saturatissimum eius decoctum solum, aut cum aliis indicatis. Extractum lactucae virosae; eius plantae saturatissimum decoctum. Extractum, decoctum florum arnicae, extractum aconiti, extractum cicutae. Extractum aquosum ligni guaiaci omnino praestantissimum, vel solum, vel cum aliquota parte resinae guaiaci. Conservae trifolii fibrini, cochleariae, nasturtii aquatici, menthae, salviae etc. cum, vel sine extractis antea nominatis. Succi herbarum, radicum resolventium, amari, subamari, verno aestivoque tempore. Succus betulae primo vere potus est solventissimus. Aquae minerales fere omnes, aquae thermales, hepar sulphuris continentes, eaeque potae.

Ipsum

Ipsum hepar sulphuris ad v — x grana bis terve per diem assumpta. Aqua picis. Potus aquae marinae. Antimonium eiusque varia praeparata plurimum praestant. An et quando mercurialia? An et quando aethiops antimonialis?

FORMULAE.

R. Rad. gram.
— taraxac. aa. q. s.
Conscissa coque s. q. a. ut l. a. fiat extract. liquidum.
R. Huius extracti, unc. iij.
Terrae foliat. tart.
Syrup. rad. v. aper. aa. unc. j.
M.
S. quater de die cochlear maius.

Extractum graminis nil facit in pillulis datum ad pauca grana. Eidem extracto bene additur spiritus Mindereri.

Extractum lactucae virosae amarum, sale multo essentiali dives scopo solvente agit: hinc maior ipsius laus est in hydrope, non qualicunque, sed qui post intermittentes longas, cortice sufflamminatas etc. sequitur. Optime datur scrophulosis. Datur pueris ad drachmam unam — duas per 24 horas, cum tartaro solubili.

R. Extract. lactuc. viros. dr. j ß. — ij.
Syr. fumar. dr. j. ß.
Aquae ceras. nigr. unc. iij.
M.
S. omni bihorio cochlear maius.

Parari et decoctum potest:
R. H. lactuc. viros. unc. iij.

Coque

Coque per ½ hor. s. q. a.
Col. lib. j. fortiter expressae
adde
Tartari solub. dr. ij — iij.
Syrup de duabus. unc. ij.

R. Extr. fl. arnic.
Sulph. aurat. antim. tertiae praecip. aa. dr. j.
Fl. sulphuris. unc. ß.
Syrup. fumar. q. s.
M.
Fiant pil. gr. iij.
S. ter, quater de die duas tresve etc.

R. Extract. aconit. dr. ß.
Cicut. dr. j. ß.
Pulv. antimon. crud. alcolis. unc. ß.
Syrup. menth. q. s.
M.
F. pil. gr. iij.
S. quater de die ij — iij — IV.

Extractum aquosum ligni guaiaci plurimum salis essentialis cotinent, amarum est, vaniliam redolens, et caro pretio.

R. Res. guaiaci.
Extract. aquos. ligni guaiac.
Antimonii crudi aa. unc. ß.
Sachar. albi. unc. ij.
Mucilag. gum. tragac. q. s.
M.
F. l. a. rotulae, gr. x — xv — xx.

R. Res. guaiac.
Extract. aquos. ligni guai. aa. dr. ij.
Antimon. crud. unc. ß.

Ess.

Ess. lign. q. s.

M.

F. pil. gr. iij.

S. quater per diem iij — jv.

Saturatissimum decoctum ligni guaiaci.

R. Conserv. trifol. fibrin.

— — cochlear.

— — salviae. aa. unc. j.

Extract. tarax. unc. ß.

M.

S. omni bihorio cochlear coffeanum.

R. Hepat. sulph.

Extract. ligni quass. aa. gr. jv — vj.

Sachar. alb. scrup. j.

M.

F. pulv. dentur tales Nro. X. mane et vesperi, vel excepta syrupo sumuntur.

Aquae thermales sulphureae cum tertia parte lactis potae, ita ut ipsius aquae per diem libram ß., dein libr. j. assumas, et plus.

Aqua picis ad libr. j — ij. per diem.

Succus betulae in eadem quantitate.

R. Mercur. viv. puriss.

Antim. crudi alcholis partes aequales.

M.

Diu in mortario vitreo.

Aethiops mineralis valet plurimum solus et iunctus aliis in scrophulis, e. g. venereis. Datur adultis ad gr. viij — x — xij.

Prodest item commoratio in loco sicco, elato, et rusticatio; solvit scrophulas subinde

pubertas ingrediens. Scrophulis suppuratis cicuta per modum fomenti, cataplasmatis, emplastri etc. adplicata bene medetur. In cancro scrophuloso extractum cicutae.

SCROPHULAE LARVATAE.

OPHTALMIA SCROPHULOSA.

Virus scrophulosum non semper sub sua legitima forma comparet, sed uti nuper est adnotatum, sub larva aliorum morborum. Sic chronica palpebrarum rubedo, glandulae palpebrarum tumidae, a viru scrophuloso sunt persaepe. Subinde illaesis palpebris, rubor oculorum chronicus, aut saltem frequenter recurrens, sub ophtalmiae rheumaticae specie multoties occurrit. His oculorum malis consueta auxilia non medentur, sed illa, quae scrophulis, et scrophulosae diathesi. Praeprimis hic profuisse visum est unguentum ex mercurio praecipitato rubro paratum sequenti modo.

R. Mercur. praecip. rubri scrup. j.
Sach. alb. dr. ß.
Butyr. rec. insuls. unc. j.
M.
Terentur in mortario vitreo.

Pauxillum immittitur cantho interno oculi, qui si doleat, aut validius aut diutius, lacte tepido abluitur. Sed et palpebrae, earumque margines leviter perfricantur eodem unguento.

Male pro ophtalmiis venereis semper habentur, quibus hoc unguentum prodest.

TU-

TUMOR LABII SUPERIORIS.

Alter morbus est a viru scrophuloso frequenter oriundus, *tumor labii* superioris fere assiduus, aut frequenter, quemadmodum de ophtalnia dictum est, recurrens: morbus pueris solemnis, ubi subinde narium foramina, et ipse nasus intumescit. Esse id a viru scrophuloso exinde constat, quod fuerint antea scrophulosi, aut scrophulae simul adsint, aut morbo labii evanescente oriantur scrophulae, aut quod curam hic labii morbus antiscrophulosam petat.

CRUSTA LACTEA.

Tertius morbus est affinis scrophulis, ab eodem quoque, ut videtur verosimillimum, veneno oriundus, *crusta lactea*, de qua nobis egregius practicus Dominus *Strack* pulcherrimam dissertationem dedit ex propriis, iisque numerosis observationibus natam.

Equidem differre utrumque morbum, *scrophulosum* et *crustam lacteam* ab se invicem, fere omnes practici arbitrantur. Veruntamen *accidentale* solum discrimen mihi visus sum semper observasse.

Ea enim opinio mihi a vero abludere non videtur, quae unam eandemque naturam genitricem utriusque morbi assumit, ita tamen, ut nunc glandulae occupentur, nunc et aliae partes, eaeque praeprimis, quas a crusta lactea obsessas deprehendimus.

Deinde et illud discrimen intercedit inter utrumque morbum, quod *crusta lactea* facilius et citius sanetur, quam scrophulae, et quod erumpens *crusta lactea* scrophulas solvat, iu-

dicetque. Cum virus scrophulosum sub crusta lactea frequentissime lateat, iuvabit quaedam de huius morbi indole, signis et symptomatibus agere.

Potissimam partem *Strackium* sequar, qui optimam nobis descriptionem huius aegritudinis dedit.

Nomina varia morbus habet: crusta lactea, lactumina. *Die Vierziger*, *Ansprung*, *Milchgrind*.

Ortum progressumque mali ipsis *Strackianis* verbis exponam. Initium, inquit, ut plurimum in malis est; equidem hic papulae erumpunt, modo latae, modo acutae, humore limpido, atque glutinoso, plenae. Rupta pustula subflavus liquor glutinosus effluit, qui ipse tenax pustulae pelli adhaerescit, cum eademque subiectae infra cuti affigitur, quod cum saepe atque diversim contingit cutis crustam ex flavo rubram accipit. Crusta autem ipsa saepe finditur, exque eius fissuris glutinosus rursum latex effluit, isque iterum indurescit, et ipsius crustae duritiem crassitiemque auget. Unde et ob hanc quoque causam morbus *crustae* nomen accepit. Cutis autem ipsa in affecta plaga ut corium dura evadit, subiectaeque partes intumescunt.

Plerumque et ante et sub exortu crustae lacteae *salivatio* copiosa observatur, unde aniculae infantum curatrices, et matres, saepe et medici dentitionis molimina adesse existimant.

Initio pariter in labiorum commissuris fissurae dolentes crustulaeque observantur ex

humore

humore subflavicante, et spissiusculo ac glutinoso natae.

Eodem quoque tempore maculae intense rubrae, velut a muco purpureo, malas, mentum, subinde et frontem obsident, quae paulo post erumpentis crustae sedem notant.

Facies tumidula, et veluti vultuosa, pinguiculave adparet, iam ante crustae adparitionem, manetque diu et post morbum, cute glabra et albicante manente.

Foramina narium intumescunt, et saepe membrana Schneideriana ita afficitur, uti in coryza. Fissurae quoque sunt ad narium foramina. Tumor quoque subinde labiorum.

Plerumque aut fere semper glandulae iugulares tument, et crustra largius erumpente detumescunt.

Urinae conditionem, tanquam *characteristicum* crustae lacteae, insignis *Strackius* notat, eamque odore tetro urinam felis aemulari asserit.

Loca, quae crusta lactea obsidentur, sunt frequentissime genae, mentum, frons; dein et collum, pectus, brachia, femora; totum nonnuuquam corpus.

Fluxus aurium; auricularum crustulis flavis, veluti a melle inspissato obsessarum conspectus. Vidi totum corpus obsessum crusta hac lactea, per annos rebelli.

Subinde totum fere corpus rubente, et noctu maxime pruriente scabie perquam rebelli vexatur, quam aut crustae lacteae iunctam, aut cum ea alternantem conspexeris.

Intra eosdem ferme terminos aetatis clau-

ditur crustae lacteae praesentia, ac rachitis: a sexto videlicet mense ad decimum ferme aetatis annum.

Divisio in *haereditariam*, uti enim formas saepe, faciei, nasi, oculorum etc., haereditario accipimus, sic et morbos, morbosas diatheses, morborum seminia eorum ipsorum, quibuscum parentes vel utrique, vel alteruter, conflictabantur. *In adquisitam* eamque saepissime. An contagiosa est? non. Saltem nemo matrum timet contagium huius crustae.

Pruritus, dolor, noctes insomnes, vagitus, excoriatio scalptu facta, cutis crassior, laevigata, albidissima, lanuginis expers in iam sano, per omnem vitam.

Retrocedens sponte, aut frigidis, siccis, saturninis retropressa ad caput, convulsiones facit, eclampsiam, epilepsias, artuum variorum siderationes, mortes apoplecticas, etc. Ad thoracem vero tussiculam, maciem, atrophiam, phthysin.

Curatio instituitur:

1. In lactentibus, si lac vitiosus corrigatur; si deses, et saginata tamen nutrix movere et excercere corpus cogatur.

2. Purgantibus rhabarbarinis, et mannatis, quae saepius sola, saepius data profuerunt.

3. Incidentia, diaphoretica, alterantia. Sulphur antimonii, aethiops mineralis sine igne. Stomachica. *Iacea tricolor*, flos Trinitatis, specificum *Strackio* audit.

R. H. Iace. tric. recent. (reiecto
flore et radice) pugill. j.

In-

Incoque lacti recenti, et percoletur.

Vel dr. ß — j. siccatae herbae incoquitur.

Vel fonticuli, cortex mezerei.

HERPES.

Quarto sub forma herpetis subinde delitescit scrophulosum virus, ita ut cum scrophulis herpes alternet, aut uterque morbus simul adsit. Mala methodus est, quae saturninis, siccantibus aliis huic morbo cutaneo mederi satagit. Praestat pruritum delinire emolliente unguento ad labia dicto, aut butyro cacao, cui aliquid mercurii praecipitati rubri admiscueras, aut mercurii currentis e cinabri redivivi, subactique longa trituratione.

ATROPHIA.

Quinto Atrophia, tabes, seu emaciatio sine febre, aut saltem sine febre notabili a viru scrophuloso est saepenumero: vel quod glandulae in mesenterio obstructae sint, debitumque corpori nutrimentum afferri nequeat, vel quod scrophulosum virus humoribus mistum vim eorundem plasticam nutrientemque destruat, et summam ita maciem, atrophiam infantilem dictam inducat.

PHTHYSIS SCROPHULOSA.

Sexto. Subinde tussis adest sicca primo, dein purulenta, saniosa, ichorosa, cum febre assidua, longa, vesperi noctuque exacerbata, sudoribus circa auroram mitigata. Virus scrophulosum ad pulmones decubuit, ibique sua acrimonia tenerum pulmonem laesit, veram phthysin induxit, quam ob causam

scrophulosam appellant, immedicabilem morbum.

ACHORES.

Septimo. Alius morbus est a viru scrophuloso ad caput delato oriundus: *Achores* audit.

Diversa nomina morbus hic habet. *Achores* appellantur communissime hae capitis efflorescentiae. Etiam scabies capitis; manantia capitis ulcera; favi, quod capillata capitis pars favum referat, pluribus foraminibus pertusum, et melleae consistentiae humorem continens. *Ficus*, quod granulata flava materies ulcusculis insit. Herpes miliaris capillata *Swietenio* audit, quoniam capillata capitis pars granis primo densissimis efflorescit, quae tanquam totidem pustulae rumpuntur, et glutem saniosum, odoris ingratissimi, et veluti acescentis, quod paulo post in crustas latas, hinc inde disruptas, foraminulatas, arescit, cum *phthiriasi*.

Prius quam achores efflorescant, plerumque pallidi, morbosique sunt; glandulae colli scrophulosae evadunt, sed ubi primum achores prodiverint, maximam partem evanescunt. Idem fit in glandulis axillarum, inguinum, et probabilius etiam mesenterii.

Morbus hic scrophulas solvit, ut vel inde videas iure statui, causam materialem achorum eandem esse cum materia scrophulosa, et achores ad dissertationem de scrophulis trahi debere.

Ab anno aetatis primo expleto, citius etiam, ad pubertatem usque frequentissima est

aegri-

aegritudo. Tamen etiam iuvenes, quin et adultos, utut raro vexat. Ad pueriles tamen morbos spectat.

Eaedem causae, tam remotae, quam proximae achorum sunt, quae scrophularum.

Vetularum, matrum, nutricum opinio est, achores ad sanitatem conferre, ita ut de obortis achoribus gratulentur. Utut equidem morbus sit molestissimus, tamen id verum est, alios multos morbos graves obortis achoribus sanari, et iisdem intempestive retropressis, gravissimos quoque morbos produci.

Multa exempla fere quilibet practicus, et saepius quidam videt; multa quoque historia medica exhibet. Nos pauca hic solum delibabimus. Sic achoribus male curatis, retropressis successere sequentia mala: cephaleae variae, oculorum morbi, opthalmiae, amauroses, baryecoiae, cophoses, aurium fluxus, apoplexiae, hemiplegiae, convulsiones et epilepsiae, artus alicuius sideratio, asthmata, tusses longae, peripneumoniae, pleuritides, vomicae, phthyses, atrophiae; febres longae, graves, putridae, malignae; arthritides, artuum contracturae; depositiones purulentae variae et abscessus. Scabies universalis.

Quoscunque morbos achores male sanati, aut sponte recurrentes sanant, ab iisdem antea iam praesentibus liberant.

Canon practicus 1) sit in cura achorum, ut nunquam solis externis remediis curationem permittas 2). Causas quoque remotas auferas, neque solis internis remediis putes posse curationem perfici.

Tr-

Interna remedia sunt ea ipsa, quae scrophulis mederi supra dictum est.

Externa vero sunt: abrasio capillorum, ut crustae rarius, et difficilius nascantur, et adplicari remedia facilius possint. *Mundities*, ut saniosum et glutinosum pus cum pediculorum myriade frequenter tollas. *Lotio* mediante lixivio cinerum simplici, vel decocto bardanae, vel solutione saponis. Loto capiti inungas hinc inde pauxillum unguenti cum mercurio praecipitato rubro parati.

In retropress.s convenit rubefaciens, semivesicans abraso capiti adplicatum.

TINEA.

Octavo. *Tinea* a viru scrophuloso, sed acriore et degenerante nascitur. Est autem Tinea scabiosa et crustosa efflorescentia partis fere totius capellatae: nunc sicca, nunc ulcerosa; et rebellis ac diuturna, atque vix unquam sponte sanatur: differt ac rebelli indole et mali magnitudine ab achoribus, durat per multos saepe annos: faciles relapsus habet; etsi materies genitrix, causa proxima achorum, crustae lacteae et scrophularum eadem sit.

Causae remotae variae sunt, eae nempe, quae scrophularum. Pauperiorum, et orphanorum saepius morbus; puerorum prae iuvenibus. Sed adulti subinde hoc morbo laborant.

Dividitur in siccam, seu furfuraceam; et in ulcerosam.

Scrophulae et praecedunt, et saepe simul adsunt. Adsunt saepe crustae albidae faciei, menti, frontis, temporum simul.

Retropulsa aeque graves morbos producit,

cit, ac de retropulsis ope plumbatorum, adstringentiumque achoribus est dictum.

Cura duplex est, externa et interna.

Interna remedia sunt ea ipsa, quae scrophulis medentur: maxime vero sequentia:

1. *Mercurialia*. Mercurius dulcis interne datus. Aethiops mineralis, ubi Mercurius vivus cum anatica antimonii crudi alcolisati quantitate, vel cum tripla huius subagitur. Mercurius sublimatus corrosivus interne cum mica panis datur, aut illitus capiti antea in decocto bardanae, in decocto hellebori albi solutus, aut in decocto foliorum nicotianae, vel in decocto lapathi acuti, vel herbae cicutae.

2. Extractum cicutae solum, aut cum aconito et mercurio.

3. Cathartica, eaque maxime mercurialia per vices.

4. Rasura capitis, et mundities, ac lotiones.

5. Unguentum iuniperi cum camphora.

6. Aqua calcis.

7. Aqua phagadaenica.

8. Lotio cum dilutissimo spiritu salis marini.

9. Succus sedi minoris tineae illitus lentissima vi rodente et depurante agit.

10. Mercurius praecipitatus ruber, prae aliis mercurialibus cum unguento iuniperi illitus tineae.

11. Flores sulphuris in formam unguenti redacti; forma pulveris inspersi; interne sumpti.

12. Leniori dropacismo capilli male inhaerentes evelluntur (non autem illi capilli, qui adhuc sani, sanis bulbis firmiter inhaerent). Dein adhibentur acida mineralia, qualiacunque, maxime tamen acidum salis, vel sola, attamen diluta in conveniente dococto, vel coniuncta aliis corporibus; hinc vis vitrioli martialis, aluminis ec.

13. Dropaces in rebelli omnino tinea, fere unicum et necessarium remedium: *validiores* ubi omnes capilli: *mitiores*, ubi solum male haerentes et morbosi evelluntur.

I V.

H Y D R O P S.

Hydrops est collectio praeternaturalis humoris varii, aquosi, sanguinolenti, purulenti in cavo quodam corporis; omnes enim hi humores facta paracentesi fuerunt extracti. Colore quoque variat ille humor, ut vel aquae limpidae similis, vel virescens, imo atrescens subinde appareat; varius etiam odor; varia copia.

Dividitur in *anasarcam*, seu hydropem universalem; in particularem, quae rursus varias habet subdivisiones; hydrops capitis, seu hydrocephalus, hydrops thoracis, spinae dorsi, huc etiam pertinet spina bifida; ascites; uteri hydrops ec. ec.

Alia est divisio, maioris equidem momen-

men-

menti in *calidum* et *frigidum*. Putant equidem plurimi frigidum tantum dari hydropem: at certum est non modo frigidum, sed vere inflammatorium hydropem observari.

Videamus causas generaliores, et frequentiores hydropis. Sunt autem hae causae.

I. Ipse sexus imprimis; nam plures inter foeminas, quam inter viros hydrope laborant, ut vel ipse sexus sequior ad hydropem praedisponat.

II. Evacuationes sanguinis nimiae, quocunque demum modo factae. Haemorrhagiae praegressae in partu; iactura sanguinis abortu, menstruis copiosis, diu durantibus, nimis larga sanguinis missione scopo prophylactico, vel in morbo acuto instituta.

III. Chlorosis quoque huc pertinet, quae vel ipsa hydropis initium persaepe, aut saltem in hydropem particularem crurum femorumque desinit.

IV. Febris intermittens, praecipue neglecta, causa frequens hydropis est. Accusari solet ab ignaris usus corticis in his febribus; at longe frequentius ex neglecto cortice, quam ab eius usu hydropes nascuntur, etsi non negaverim ab intempestivo etiam corticis usu hydropem subinde ortum esse. Falsa ergo est regula mox ab initio morbi corticem esse ingerendum, utpote cruda adhuc, multo minus eliminata e corpore morbida materie. Post sufflamminatas enim hac methodo febres icterus, obstructiones viscerum pessimae, atque hydrops oriuntur.

V. Abusus potuum aquosorum tepidorum,

Hinc

Hinc in iis regionibus, in quibus largus horum potuum usus est, frequentior hydrops observatur. At non solum aqua tepide hausta hydropem producit, sed et

VI. Potus spirituosus vinosusque, diu et copiose haustus corpus ita disponit, ut hydrops oriatur; neque novi peiorem et magis immedicabilem hydropem, quam quae ex abusu vini, praecipue spiritus vini, ortum duxit; nam pessimae hinc obstructiones, imo semicartilagineae viscerum indurationes haud dissolvendae.

VII. Diaeta ex aquosis vegetabilibus, non restaurans, sed relaxans, debilitans viam sternit hydropi.

VIII. Vita sedentaria. Rarus hydrops in exercitatis, frequentior in litteratis, sedentariis.

IX. Alia frequens causa ruri observatur, inter messores, ruriculas: haustus nempe frigidae aestuante corpore. Vidi talem hydropem intra paucas horas ortum. Dum enim sudante corpore hauriunt potum frigidum, atque corpus non protinus movent, sed quiescunt, non tantum varii thoracis et abdominis morbi oriuntur, sed et hydrops fit intra paucas horas, aqua frigida hausta mox in cava corporis depluente.

X. Evacuationes suppressae: menstrua, lochia, haemorrhoides. Qui ab his causis oritur hydrops, curatur saepe venae sectionibus, hirudinibus. Non est, quod miremur hydropem curatum esse venae sectionibus; nam exstant novae et antiquae observationes hy-

dro-

dropis venae sectione curati; sed erat ille ortus ab evacuatione sanguinea intempestive suppressa. Vidi rusticum hydropicum, qui abusu evacuantium peius se habebat, sola venae sectione, emulsione nitrosa, antiphlogisticis curatum.

XI. Scabies, achores retropulsi. Exemplum habuimus Viennae aurigae floribus sulphuris cum saccharo a medico curati; examinatus postea aeger non aliam potuit hydropis causam dare, quam quod ipse sibi scabiem retropulerit. Ulcera tibiarum intempestive curata et retropressa varium hydropem producunt, nisi arte aliud ulcus substituatur. Scimus ante aliquot annos plures mortuos esse, quibus ulcera tibiarum ligaturis (*Schnürstrümpfe*) comprimebantur, absque alio artificiali ulcere substituto; alios inde hydropicos factos, quosdam vero, qui medico obtemperabant, excitato alio artificiali ulcere, perfecte convaluisse.

XII. Dysenteria et longi alvi fluxus, hydropes crurum, abdominis etiam producunt. Raro aut nunquam curatur talis hydrops, cum tanta labes per dysenteriam sit inducta, ut immedicabilis factus sit. Aliud est, si intestinis corroboratis crura tantum intumescant. At si abdomen tumet, raro medelae locus est, praecipue fluxu dysenterico adstringentibus cohibito.

XIII. Hydrops, in quem phthysis terminatur, immedicabilis.

XIV. Graviditas hydropem producit particularem crurum vel femorum, qui tumor par-

tu

tu ipso tollitur. Subinde etiam ad abdomen hydropicus tumor assurgit, ut et gravidae et hydropicae simul sint, imo nescias, num praeter hydropem graviditas quoque adsit. Hic tumor topicus crurum femorumque aut nullam poscit medelam, aut sufficit partes has fasciis firmare.

XV. Obstructiones hepatis. Ubi hydrops ab his nascitur, prout hae obstructiones hepatis fuerint, varia erit prognosis. Hepar scirrihosum insanabilem facit hydropem. Hinc homines a quibusdam opificiorum generibus, e. g. textores, pannificae, sartores in hydropem crurum, femorum, thoracis etiam facile incidunt.

XVI. Ad causas hydropis pertinet quoque motus sanguinis per vasa maiora impeditus, maxime refluxus sanguinis impeditus per venas maiores; inde tumor partis sub applicato vinculo; hinc in gravidis hydrops crurum femorumque. Hinc ab ipsa plethora motuque sanguinis plethorici impedito hydrops peculiaris, venae sectione curandus. Compressio per vestes, per thoraculos. Ossificatio aortae, valvularum cordis tanquam totidem impedimenta circulationis hydropem faciunt persaepe. Universalis laxitas, et sanguinis crasis nimium relaxata, solidaque debilitata.

In cura hydropis duo potissimum facienda sunt: 1) causae videlicet remotae tollendae sunt, et 2) dein primum aquarum collectio, seu ipse hydrops amovendus. Ineptiunt, qui curam hydropis in sola aquarum evacuatione reponunt, reliquis omnibus insuper habitis.

Non-

Nonnunquam sublatis causis remotis hydrops tollitur *suapte*, et aquae sponte suscipiuntur intra circulum diminuunturque. Subinde vero caussis remotis dudum sublatis collectio aquarum nihilominus manet, donec et haec sua methodo eliminetur.

Hinc capi potest, quare diversissimae methodi subinde hydropem sanarint, etiamsi nullas vires diureticas possidere visa sint remedia propinata. Quare venae sectio hydropem curarit subinde; quare balneum calidum sulphuratum crura oedematosa sanarit. Cur vini potus, cur decoctum solvens solum, cur lactuca virosa non una vice, quare sola tonica non raro.

Peccant medici graviter, iuniores plerumque, qui omnis hydropis curationem ab aquarum evacuatione auspicantur, cum prius in causam aquae collectae indagare, atque in hanc praeprimis agere deberent.

Causa proxima cuiuscunque hydropis est diminuta resorptio vasorum inhalantium, minor, quam vasorum exhalantium excretio.

Videamus singularum specierum hydropis descriptionem, initium faciendo a communissima specie hydropis.

ANASARCA.

Anasarca, hydrops internus, leucophlegmatia, omnium est frequentissima species.

Omnium primo pedes, dein crura, femora, demum et abdomen, totumque corpus intumescit; maxime vesperi; item stando sedendoque inferiores artus tument magis: per noctem, et matutino tempore manus, facies, hypopia magis tument, pedes vero minus.

Corpus ipsum pallidum, tumidum, molle, pastaceum. Gravitas, torpor, somnolentia. Urina parca, aquosa, subinde ruffa. Tumet scrotum, penis. Sitis, dispnoea. Aquae non solum corporis exteriora occupant, sed et interiora musculos, venas, nervos, abdomen, viscera omnia; et ubicunque tela cellulosa reperitur, aquae quoque sunt reperiundae. Inde vasorum sanguiferorum compressio, tardiorque humorum motus, caloris imminutio, itemque nervorum pressio, et inde natus irritabilitatis defectus. Maculae rubrae, purpureae, crurum maxime, ob sanguinis remoram passi extravasionem. Vesiculae aquosae elata epidermide.

Magnae quoque in oeconomia animali viscerum mutationes contingunt, multa functionum impedimenta.

Varia curandi ratio obtinet in curando hydrope.

1. Methodus est, quae purgantibus hydragogis, drasticis nempe utitur. Est autem solemnis methodus agyrtarum. At non infrequens est modus curandi hydropem per purgantia leniora, salina, rhabarbarina, vel sola, vel tonicis aut interpositis, aut mixtis. Usu cremoris tartari.

2. Per *vomitoria*, natura subinde hanc viam monstrante. Aeque raro ac primo methodus indicatur.

3. Per *diuretica*. Plerique hydropes sanabiles ope diureticorum sanantur: 1) viae urinariae aptissimum colatorium sunt, per quam aquae resorptae educuntur. 2) Haec evacuatio prae ceteris facilius toleratur a debilibus, emaciatis, semiphthisicis, cum purgatio neque diu ferri possit impune, et saepe causam hydro-

dropis augeat, cum aquae post singulas purgationes increscant, debilitando ventriculum, vires infringendo; neque multum prodest purgantibus aut miscere aut interponere tonica, eorum enim vis eliditur. In quibusdam hydropis speciebus e. g. in hydrothorace *sola* diuretica prosunt, nocent purgantia.

Solemniora diuretica enumerabuntur, et quid circa singulorum usum notatu dignum sit exponetur. Id solum praemitti debet, non omnia diuretica *omnibus* diuresin movere. Saepe medici ex ordine tentant celebratiora diuretica, donec ad id perveniant, quod *huic* urinas movet.

Principem locum ab omni aevo squilla obtinuit, antiquissimi usus, et satis certi prae aliis diureticis. Hinc in exponendo huius remedii usu diutius et adcuratius versabor.

Conditiones, sub quibus dari potest squilla, plures sunt, bene notandae, nisi velis aegro nocere. Sunt autem sequentes:

1. Absentia febris cuiuscunque, et symptomatum febrilium quorumcunque. Hinc pulsus, urinae; sitis potissimum sunt examinanda.

2. Absentia obstructionum, maxime hepatis: hae enim a squilla saepe inflammantur. Subinde tamen iungi solventia debent.

3. Humor sit aquosus.

4. Hydrops non sit saccatus: in saccato enim tam squilla, quam alia vix quidquam efficiunt.

5. Maxime in hydrothorace.

6. Neque in hydrope particulari crurum, e. g. si is a sola atonia topica proveniat.

Incommoda squillae subinde observari solita sunt plura. 1. Cardialgia, vomituritio, vomitus, tormina, diarrhaea, dysenteriodes alvi fluxus, conamina haemorrhoidalia. 2. Sitis febrisque; urina frequens quidem, at semper parcior, intensius flava, ruffa, cruenta, stranguriosa, suppressa. 3. Inflammationes tubi intestinalis, systematis uropoietici. 4. Dolores artuum in irritabilioribus, convulsiones quoque. 5. Anxietates urgentes.

Correctiones squillae fiunt variis additamentis, nitro e. g.: aut dosi parca. Sed de squillae connubio inferius plura.

Modus exhiendi varius est; formulas dein subiungam. Sic squilla *cruda* in pastam contrita, et in massam pillularem cum extracto aut syrupo conveniente redacta subinde propinatur. Datur tunc ter quaterve per diem ad gr. ß. ad gr. j. Alii siccatam tortamque malunt; putant, et forte non bene, vitia squillae ita corrigi. Dant tunc in pulvere, vel in pillulis, cum coindicatis.

Eius extractum frequentissimi usus ad gr. ß. gr. j. pro dosi datur. Forma mixturae, pulveris, pillularum.

Acetum squilliticum. 1. Solum vix datur: mixturis diureticis additur. 2. Cum sale tartari speciem terrae foliatae tartari componit, maxime proficuum, solventissimum simul remedium, et diureticum; in hydrope post intermittentes neglectas, suffocatas quartanas. 3. Cum sale alcalino volatili componit speciem spiritus Mindereri, medicamentum resolvens, diureticum simul, ubi terra foliata tartari est minus efficax; ubi pituitosi simul infarctus

sunt.

sunt. In hydrope cum arthritide. Uterque hic sal, et prior, et hic posterior semivolatilis, solus non datur: additur mixturis diurericis, decoctis resolventibus. Sumitur autem sal alcalinus volatilis non causticus, seu sine calce paratus ob notam rationem. 4. Cum lapidibus cancrorum facit sal medium terrestre, quod aliquibus urinas potenter movet.

Oxymel squilliticum. Fit ex squilla cruda, adiectis vel amaris, stomachicis, e. g. trifolio, absynthio, centaurio, enula, cortice peruviano, winterano, cinnamomo, *frigide* vel in levi digestione; vina acidula plerumque accipiuntur in hunc usum: vetus austriacum, rhenanum.

Squillae vel eius praeparatis addi solent vel carminantia, stomachica, vel salina varia, vel tonica. Sic datur extractum squillae cum nitro in pulvere. Item cum tartaro solubili. Cum elaeosaccaro menthae, anisi ec. Cum marte, aethiope martiali, limatura ferri; cum roob ebuli, sambuci, iuniperi, syrupo de spina cervina, aqua foeniculi, petroselini, iuniperi.

FORMULAE.

R. Extract. squillae. gr. ß—j.
Nitri puri gr. x—xv.
M.
F. pulv. tales Nro. VIII. quater per diem pulvis. Vel omni bihorio.

R. Extract. squillae gr. j.
Tartar. solubil. gr. j.
M.
F. pulv. tales Nro. x. quater per diem pulv.

R. Extract. squill. gr. j.
Elaeosach. menth. dr. j.
M.
bis ter, quater per diem pulverem.

R. Extract. squill. gr. j.
Flor. salis ammon. mart. gr. vj.
Elaeosach foenic. dr. j.
M.
Quater per diem pulvis.

Home squillam dedit cum aequali pondere zinziberis, et optimum in anasarca remedium reperit.

R. Aquae petrosel. unc. v.
Extract. squill. gr. jv—vj.
Sal seignette, dr. ij.
Syr. rad. v. aper. unc. j. ß.
M.

R. Squill. recent. scrup. j.
Tartar. solub. scrup. ij.
Extract. Helenii dr. j.
Syrup. menth. q. s.
M.
Terendo in pastam, f. inde pil. N. LX.
bis, ter de die 2—3 sumendae.

R. Sal. tartar. dr. jß—ij.
Acet. squill. q. s. ad perfectam saturationem.
His adde
Syrup. de duabus unc. ij.
Aquae foenic. unc. v.
M.
Omni bihorio cochlearia duo.

R. Spirit. sal. ammon. sine calce parat. dr. j.

Ace-

Aceti squill. q. s. ad perfect. saturati
dein adde
Aquae petrosel. unc. v.
Extract. gramin. liquid.
Syrup. meliss. aa. unc. j.
M.
Omni bihorio 3. cochlear.

R. Rad. gramin.
— tarax. aa. unc. iij.
— cichor. unc. ij.
C. c. s. q. aquae, colat. fortiter express. lb. j.
adde
Spirit. sal. ammon. sine calce parat. dr. j.
Aceti squill. q. s. ad p. satur.
Syrup. rad. s. aper. unc. ij.
M.
Omni bihorio ½ vasculum.

R. Lapid. cancror. dr. ij.
Aceti squill. unc. j ß.
Syrup. de spina cervina. unc. ij.
Aquae iunip. unc. v,
M.
Omni bihorio 2—3 cochlear.

R. Squill. recent. dr. ij.
Pulv. cort. peruv. unc. j ß.
Cortic. aurant. condit. unc. ß.
Infunde s. q. vini veteris austriaci.
Stent in infusione frigida p. 24. horas.
Col. lb. j. d. usui.
Sumat binis horis ante prandium et ante coenam unc. ij.

Millepedum succus.

R. Millep. viv. N. C.

 Emul-

Emulge in s. q. vini austr. l. a.
Emuls. adde.
Aquae petrosel. unc. vj.
Syr. kermes. unc. ij.
M.
Omni bihorio 2 — 3 cochlearia.

R. Millep. vivor. N. C.
Emulge in unc. x. vini veter austr.
Emuls. adde.
Syrup. meliss. unc. ij.
M.
Omni trihorio dimidium vasculum coffe.

Praeter haec hucusque commemorata diuretica diuresin quoque movet.

1. Sal medium quodcunque, parcius sumptum, atque ita ut alvum non moveat. Praecipue si in vehiculo detur pariter diuretico, e. g. aqua iuniperi, petrosel. ec. Terra fol. tartari aliquid prae aliis salibus mediis habere videtur. Maximi usus haec sunt in hydrope post febres intermittentes, praesertim si aut squillae ipsi, aut tonicis, aut resolventibus iungantur. Non opus est formulas huius remedii congerere, notas nempe ubique. Huc pertinet antiquis usitatum remedium, quod ex cineribus sarmentorum affuso aceto paratur, quod teste *Plinio* contra hydropem sumpsere.

Vel hodiedum cineres genistae infunduntur, vel aceto, ut terra foliata tartari inde nascatur, vel vino. Cineres ligni quercini, vino vel aceto infusi ruri efficiunt, et pro pauperibus remedium antihydropicum euporiston.

2. Salia acida, acetosae, acetosellae, cremor tartari parcius datus urinas movet hydropicis, praecipue si in largae aquae bonae recentisque vehiculo sumatur. Largus limonadae potus. Aqua spiritu vitrioli acidulata. Prosunt haec in hydropicis valde siticulosis, ubi humorum putredo metuitur.

Mala enim opinio est, hydropicos a potu arcendos esse: dandus is largiter, attamen ita, ut simul et semel non nimium urgeat.

Huc revocari usus acidularum potest, qui pro potu communi sumptas sitim fallit, resolvit; solum attendi debet, an aqua haec assumpta vias urinarias petat, an urinae assumpto potui respondeant, an inde levamen sit.

3. Ipsa salia alcalina sunt diuretica. Prosunt magis in anasarca, scopo incidente, in acido simul primarum viarum, maxime amaris iuncta, cum rheo.

4. *Oxymel colchicum* mitius agit, quam squilla, et squillae incommodis caret. Iis quoque prodest, qui squillam perferre neutiquam possunt.

5. Ipse potus copiosior, sed sitis vehementiae respondens, urinas movet non solum respondentes potui, sed copiosiores. Mala methodus est, quae pertinaci abstinentia a potu hydropem sanare satagit. In febrili hydrope semper nocet. Febrim non praesentem invitat haec abstinentia. In sola anasarca, datis interea sitim fallentibus, cremore tartari, succo citri, berberum, masticatis prunis, excusari forte potest, etsi non sit adhibenda methodus.

Po-

Potus parce, sed frequenter sumatur pro magnitudine sitis. Sit acidulus, cremore tartari, succo citri, spiritu vitrioli, succo berberum ec. Sit aëre fixo impraegnatus; alvum et urinam expediens. Notavit Cl. *Milman*, quam liberaliter hydropicis potum indulserit Cl. *Collin* defunctus; vidimus id et apud nostros aegros in priori nosocomio.

4. Modus hydropem curandi est per solventia, resolventia, sola, vel cum diureticis. Sapo venetus cum gummi ferulaceis et squilla in pillulas redactus. Decoctum graminis, taraxaci, cichorei: sed *nota*, *meracissimum*. Plantae antiscorbuticae dictae forma succorum vel conservarum cum sale medio, e. g. terra foliata tartari. Prosunt hae plantae in hydrope potatorum, ab obstructionibus, cum ictero ec.; post febres.

Huc pertinet succus inspissatus lactucae virosae, amarescentis, lactescentis, solventissimaeque plantae ob copiosum salem essentialem. Causam, obstructionem nempe potius solvit, hacque soluta subinde per se urinae moventur, vel vero adiecta terra foliata tartari, aut alio sale medio, aut etiam squilla.

Extractum lactucae virosae squillae non substituitur, nec et potest substitui. Haec enim in vias urinarias specifice agit; illa vero solum agit solvendo obstructa.

Mercurialia ipsa inuncta regioni hepaticae hydropem subinde sustulerunt solvendo.

Frictio repetita moderataque profuit etiam mechanico modo.

In hydrope a retropressa scabie, morbisque cutaneis aliis, praecipue si flores sulphu-

ris

tis interne simul exhiberentur, proderit certe. In hydrope post ulcera immunda crurum clausa infarctus hepatis solutos legimus inunctione medicata mercuriali. Capi ergo potest, quanam ratione etiam hydrops, effectus huius infarctus, solvi queat.

5. Methodus *sudoriferis* utitur. Rarius adhiberi haec methodus potest; et fere non nisi in anasarca, praemissis antea incidentibus, subiunctis tonicis. Aquae in cellulosa tela collectae, attenuatae sudoribus arte et sponte motis tunc dissipantur. In hydrope particulari crurum femorumque sudores topici saepissime prosunt.

6. Cum sponte subinde epidermis attollatur in cruribus, et vesiculae ortae aquam multam plorent; hinc subinde ars naturam imitatur, et cutem vulnerat. Sunt qui in cruribus, loco maxime declivi id faciant; sunt etiam, qui in scroto, si id tumeat.

Modus cutem vulnerandi varius est: 1. *erodendo*, adposito vesicante, squilla recenti et contrita adplicata. 2. *Incisione*, seu profundiori scarificatione. 3. *Scarificatione* cutanea, levi, rara, incruenta. 4. *Setaceo*, maxime in scroto. 5. *Fonticulo*.

Praestat ad internos malleolos scarificatio incruenta et rara. 1. In unico pede; alias enim inflammatio, dolor, erysipelas phlegmonodes per totum crus et femur cum febre magna oritur. Item si plures in utroque pede incisiones fiant, et aquae tenuiores sint, intra paucas horas plurimum aquae cum magna virium ruina profluit.

Incommoda huius methodi sunt inflamma-

matio partium punctarum. Incisiones inflammatae aquam nullam amplius profundunt, et saepe cito diffunduntur ad partes vicinas.

Vitantur haec incommoda, si ad primum sensum doloris aegrum in lectum reponas, crure in situm horizontalem reposito, ut crus situ ipso detumescat, et tensio cesset ac inflammatio.

Prodest etiam ad partem inflammatam incipientem adponere cataplasma emolliendo discutiens, e. g. ex mica panis albi et floribus sambuci cum lacte coctis, vel cum aqua adiecto aceto lithargyrii.

Prosunt hae scarificationes 1. in anasarca vel sola, vel cum ascite coniuncta, 2. aquis fluxilibus effectis, 3. internis non neglectis.

7. Methodus utitur *frictionibus* partium tumentium *siccis*, *aromaticis*, *spirituosis*, *oleosis*.

Si morbus ex sola laxitate partis externae oritur, citius roboratur adhibitis roborantibus externis ad partem relaxatam adplicatis: morbus enim est tunc *telae* potissimum *cellulosae*.

Asciticos oleosa inunctione sanari memorat *Celsus*, *Caelius Aurelianus* et *Galenus*. Methodus haec in desuetudinem abiit, donec eam Cl. *Olivier* Bathoniae Medicus denuo in usu revocaret. Abdomen mane et vesperi oleo olivarum probe inungitur per horam, donec post aliquot dies aeger profuse mingat, et detumescat. Frictio tenaces humores solvit, attenuat, solutosque ad renes determinat. Cum plurimum aquarum ex aëre externo absorbeatur in hydropicis, fors inunctio eam aquae imbitionem prohibuit. Nos solum abdo-

domen inungimus hodie. Antiqui, excepto abdomine, reliquum corpus; fors *totum* corpus melius inungeretur.

8. *Balneum* crurum, totius etiam corporis hydropicis profuit non raro. Thermae potissimum sulphuratae. At nocent asciticis, et aliis, quibus vires ventriculi sunt debilitatae. Prosunt leucophlegmaticis, itemque in anasarca, viribus coctricibus bonis. Item ad tumores crurum tollendos, si spissus et tenax humor oedema fecerit. Praemitti debent solventia, incidentia, evacuantia, demum tonica. Quod si nihilominus crurum tumor maneat, thermae febrim temporariam excitabunt, spissa attenuabunt, et attenuata per poros cutaneos educent. Hinc solvi quaestio potest, an thermae e. g. nostrae Badenses roborent, an non. Thermis bene iungitur equitatio, ita ut aeger mane thermis utatur, vesperi equitatione.

Balnea vinosa, vinaceorum, faecum vini, aqua calida dilutarum, cruribus oedematosis prosunt, si is tumor saepe rebellis, hoc ceteroquin iam dudum sanato supersit.

Balneum arenae calefactae, cinerum calidorum, tosti salis, in anasarca, aut etiam in ascite cum tumore crurum eximia sunt. Sunt autem haec balnea vel solummodo crurum, vel et totius corporis, ubi aeger decumbens, tenui syndone tectus ad digiti altitudinem cineribus, vel sale marino calefacto perfunditur. Verum sublatae iam debent esse causae remotae hydropis.

9. Ligaturae et fasciatio, vel tibilia (*Schnürstrümpfe*) prosunt, non ipsum hydropem sanando, sed ad tumorem crurum residu-

um

um tollendum, qui saepe ob atoniam cutis diu manet. Adplicatio fasciae mane in lecto fiat.

10. *Tonica*. Incipiens hydrops post longos morbos, potissimum autem anasarca, tonicis, stomachicis, diaeta spirituosiore, motu corporis sanatur. Vidi anasarcam, ubi diuretica, purgantia ec. nil profuere; aeger medicorum pertaesus quotidie curru evehi, vino meraciore uti, et carnibus vesci coepit, et sanatus est.

II. *Venae sectio*, et *emollientia* nitrosa, potissimum quae ex althaea parantur, hydropem subinde sanarunt. Exempla etiam habuimus in nosocomio, neque pauca; et refert Cl. *Casimir. Medicus*: hoc in casu adest inflammatoria sanguinis conditio, et plethora. Inde serosus latex in cava corporis, inque telam cellulosam exprimitur, oriturque hydrops varius, rarius ascites, saepius anasarca. Interest plurimum certa inflammatorii huius tumoris signa habere; sunt autem sequentia: pulsus vere durus, qui tamen valde decipit in hydrothorace; sitis, urinae color, itemque alia synochi imputris, seu febris inflammatoriae universalis symptomata. Observatur tempore phlogistico, et causis hydropis ordinariis absentibus. Huic hydropis speciei praeprimis obnoxiae sunt puellae rusticanae, quibus antea bene sanis menstrua coeperunt supprimi, ob perfrigerationem forte admissam, terroremque, diaetae errores. Inde plethora nascitur, et chloroseos species, quam *calidam*, *febrilem* appellant, seu febrim *albam*, febrim amatoriam. Venae sectio. Emollientia. Nitrosa ec.

12.

12. *Mutatio coeli*. Subinde sola hydropem sanavit, si locum depressum et paludosum deseruerit aeger, et editiorem petierit.

13. *Paracentesis*. Veteres iam notaverant, quibus rupto umbilico aqua statim effluxerat, eos sanari non raro; mori vero, quibus id fieret confertim et subito. Hinc edocti fuerant, non tantum paracentesin abdominis, sed et modum illius.

Sed quaeritur, quare ergo, natura viam monstrante, paracentesis non in ipso umbilico instituatur, quem locum, utpote magis attenuatur, sibi natura selegit. Respondeo, 1) quia vulnus in loco ita extenuato difficulter consanatur, 2) quia lentus aquarum effluxus difficulter impetraretur, 3) quia locus pertusus minus commode posset obturari, 4) quia aquae plena detractio perincommoda foret, et non, nisi aegro in umbilicum decumbente perageretur.

Ceterum optima circa paracentesin praecepta dedit *Celsus*. Prodest paracentesis: 1) in hydrope non saccato, 2) primis viis bonis, 3) obstructionibus viscerum antea sublatis. Hic *curativum* remedium in ascite erit paracentesis. At subinde *palliativum* tantummodo remedium est, scilicet ubi ob molem aquarum suffocatio instat, et ubi saepe aeger de vita periclitatur. Habemus aliquot exempla foeminarum per multos annos, paracentesi saepius instituta, conservatarum. *Palliativam* medicinam dixi, cum causa tolli nequeat, et ea persistente idem effectus sequi debeat.

Verum ubi febris iam adest, et vires frac-

fractae, ubi macies superiorum, ubi aquae puriformes, purulentae, sanguinolentae, acresque viscera iam arroserint, paracentesis gangraenam et mortem accelerabit.

In hydrope saccato inutilis est, paulo post enim saccus de novo replebitur: et scaturigo aquarum non tollitur, non potest obturari.

Si aqua gelatinam referat, paracentesis equidem non nocebit, non tamen proderit. Aquae enim effluere per canulam non possunt. Etsi Galli hoc in casu vulnus soleant dilatare.

De loco ubi, et modo, quo debeat institui, chirurgiae doctoribus disserendum relinquimus: id solum addo, utendum fasciatione illa sub paracentesi, quam *Caelius Aurelianus* iam in usum vocaverat, renovatam a *Littrio*, atque a *Meadio* ita acceptam, tanquam proprium inventum.

Haec ferme auxilia curandi hydropem: nunc videndum, quos hydropes immedicabiles statuerint medici; dein vero ad explicandas singulas species hydropis progrediar. Vasa lymphatica *rupta* immedicabilem hydropem faciunt. Item ex renibus calculo laceratis legitur in abdomen effusa urina, et inde hydrops. Idem hydrops ab urina ex rene aut vesica ulceratis profluente natus. Leguntur rupti uretheres; rupta vesica post urinam diutissime retentam. Vidi ipse.

Huc ulcera pertinent ventriculum eo loco perforantia, et foramine ita tenui, ut potulentis potius, quam cibis exitus pateat in abdominis cavum: de quo exempla prostant.

Huc

Huc etiam pertinent ulcera in mesenterio. Hepar scirrhosum, exsuccum, irresolubile immedicabilem hydropem facit.

Varias hydropis species recensere exordiar, cum quaedam habeant aliquid sibi proprium et peculiare, quod ad regulas therapeuticas nuper datas difficilius reducitur.

HYDROTHORAX.

Exordium faciam ab ea specie, quae apud nostrates est valde frequens, maxime in urbibus: ab *hydrothorace*.

Sunt multi praedispositi ad hydrothoracem, ita ut morbus sit gentilitius: filius, pater, avus inde sunt mortui.

Sedes. Aquae haerent vel in *alterutro* cavo, vel in *utroque cavo* thoracis, vel *intra pericardium*, et tunc *hydrocardia* morbus audit; vel intra duos *pleurae* saccos, vel in ipsa *pulmonis* substantia.

Causae sunt eae ipsae, quas supra attuli hydropis productrices: sunt tamen aliquae *peculiariter aptae* producendo huic morbo: has nunc attente accipite.

1. Venae sectio frequens, et eius abusus ex mala morbi idea. Sic *Haenius* ob copiosas, quas sibi ipse instituit venae sectiones. Venae in morbo inflammatorio pectoris *plus aequo* institutas.

2. Pulmo *infarctus*, *tuberculosus*, *obstructus*, *calculis obsessus*, pulvisculis, uti in molitoribus, lapicidis, et iis, qui inter pulveres perpetuos opificium aliquod exercent. Longa tussi, quacunque demum vexatus hydropem thoracis invitat. Vitia cordis et magnorum

vasorum, et quidquid humorum motum per pulmones difficiliorem reddit.

3. Peripneumonia saepe causa hydropis est. Gravem hanc observationem magno Italorum medico *Morgagnio* debemus. Scilicet per pulmonem inflammatum difficillimus est sanguinis motus, hinc per vasa lateralia dilabetur, exprimeturque pars aquosa. Pulmo ita inflammatus non resorbebit illum halitum, qui identidem transudat, et superficiem oblinit. Hinc peripneumonici saepissime simul hydrothorace illius lateris laborant. At sub finem morbi, venae sectionibus copiose institutis, plerumque denuo abundans in cavo aqua resorbetur: dico plerumque, vidi enim aquam non fuisse resorptam, mansisse hydrothoracem, propria dein methodo sanatum. Exempla et sectiones mihi suppetunt ex priori nosocomio.

4. Alia est frequentissima causa hydropis, nempe asthma qualecunque, *humorale*, *pituitosum*, seu *convulsivum*. Vidi non paucos praeteritis annis asthmate laborantes: omnibus his *materies arthritica* pulmones occupavit. Haec causa omnium est frequentissima asthmatis, seu convulsivi, seu humoralis, continui seu peridioci, nocturni seu diurni. Raro itaque asthma sic dictum *convulsivum*, si unquam, ad nervos referri debet; plerumque et fere semper est morbus a *materie arthritica*, et vices supplet paroxismi podagrici vespertini. Hoc bene notandum.

Pulmones itaque asthmate quocunque diutius et saepius strangulati tandem hydropisin patiuntur. Haec una ex pessimis causis est hy-

hydrothoracis, asthma nempe praecedens; quemadmodum arthritis si sit causa hydropis, cum hydropem qualemcunque difficilime curaveris.

5. Raro *hepar* sanum est, et ab obstructionibus liberum in hydrothorace. Haecque obstructio pro causa saepe habet intermittentem praegressam, longam, neglectam, male curatam.

6. *Oedema crurum* solis fasciis profligatum. Decubitus continuus eorum, quorum crura oedemate laborant, et malum eorum ratiocinium.

7. Ulcera crurum intempestive clausa, diu ante manantia, in sedentariis, cachecticis, arthriticis; humoribus antea non correctis; evacuatione vicaria e. g. per fonticulum non substituta; ope fasciarum, item siccantium, adstringentium.

8. Legimus, neque adeo rarum est, homines, qui solo litu externo scabiem sibi profligarunt, in morbos pectoris incidisse, in phthysin, sed etiam in hydrothoracem.

9. Quidam doloris validissimi podagrici pertaesi dolenti parti *frigida*, glaciem, nives, saturnina, spirituosa, unguinosa etc. adhibuere. Materies podagrica retrocessit, ad pulmones decubuit; inde asthma, longa tussis, demum inde hydrothorax insanabilis est ortus.

Symptomata signaque sunt: difficilis spiratio, magis tamen in incessu, ascensu per scalas; difficilis decubitus supinus et horizontalis; difficilis saepe in alterutrum latus, aut etiam impossibilis. Tussis chronica, aquosa

saepius, subinde tamen et sicca. Palpitatio cordis in motu. Subita excitatio ex primo somno, cum metu suffocationis; etsi etiam hoc viderim in homine, in quo post mortem nullae aquae sunt repertae. Levamen symptomatum ex liberiori urinae profluvio, aut ex tumore crurum aucto.

Deceptio quaedam peculiariter est commemoranda, scilicet circa pulsum hydrothorace laborantium: is saepius durus, vibrans etiam, ita, ut inflammationem, aut saltem plethoram adesse existimet medicus, et male venam secet. Pulsus saepe est etiam intermittens, remittens, omni modo inaequalis.

Repentina excitatio ex primo somno cum metu suffocationis alteram deceptionem praebet. Multi huic signo maxime fidunt. Attamen certum est, et vidi hanc veritatem secto cadavere confirmatam, hoc signum subinde adfuisse sine aquis in thorace.

Curatio petit ea fere omnia, quae universim de cura hydropis dicta sunt. Id solum addo, hanc hydropis speciem catharticis, praecipue paulo graviorioribus, multum exacerbari. Hinc sola fere diuretica hic locum habent. Id solummodo attentas, ut et causas remotas tollas.

Subinde convenit, praecipue si crura tument cum thoracis levamine, puncturas leves, scarificationes leves ad eum modum ad malleolos instituere, quem supra exposui.

Nonnunquam tanta est colluvies ad thoracem, ut aeger de vita periclitetur iamiam suffocandus. Prodest tunc eum e lecto eximere, iuberique, ut et noctes sedendo transi-

sigat: sic enim crura tumebunt magis, et thoracis incommoda minuentur. Novi foeminam, quae adhucdum, et nunc quidem sanissima vivit, ante aliquot annos hepate obstructo laborantem, cui supervenerat hydrops thoracis; cum decumbere tentaret, metus fuerat, ne suffocetur. Multas septimanas transegit sedens. Solventia et diuretica interposita eam sanarunt. Novi et alium gravem virum similiter sanatum nunc, qui septem mensibus integris decumbere non potuit.

At si neque situs erectus, neque squilla strangulationem pulmonum solvat, sunt qui in summis angustiis aegro pauxillum sanguinis detrahunt. Augent equidem morbi causam, sed mortem subinde aliquantulum propulsant, nisi forte melius id facimus paracentesi thoracis.

Eaedem sunt indicationes et contraindicationes circa paracentesin thoracis, ac illam abdominis. Instituitur tantum, si in alterutro cavo aquae haereant.

Superest ut de signo hydrothoracis diagnostico aliquid dicam, scilicet de percussione thoracis, et in quantum huic fidere possis.

Veteres, iamque ipse Hippocrates vult, ut hominem tuum, de quo dubites, an in cavo, et quonam in cavo thoracis aquas habeat, in sella collocatum apprehensis humeris concutias, et aure admota attendas, num fluctuantium aquarum strepitum percipias. Signum hoc tanquam nullius usus per saecula neglectum fuit, adhucdum negligitur. Negant enim hominem cum hydrothorace posse tuto

ita agitari, concutique: negant posse unquam fluctuationem percipi. Interim dicam, quid res sit, et quid meis ipse oculis usurpaverim; Si quis in alterutro cavo, aquas habeat non plurimas, si aliquem adhuc possit motum exercere, si is homo pinguis et torosus ceteroquin non sit, sique hic aeger, et sese celeriter convertat, aut a medico commoveatur (non percutiatur more *Avenbruggeriano*, utpote quod aliorsum servit) repentina conversione, verum est, et aure admota fluctuationem percipi, et admota etiam manu sentiri appulsum aquae ad latera, a medico aeque ac ab aegroto.

Ex hoc constat, signum hoc diagnosticum hydrothoracis non semper posse adhiberi. Verum tamen tunc aliud habetur, a medico huiate, clarissimo *Avenbrugger* detectum, de quo nunc impraesentiarum plura dicam.

Cl. *Avenbrugger* signum quoddam proposuit, quo usus possis determinare, an effusus quidam humor, *aqua* vel *pus*, sit in aliquo cavo thoracis. Hunc in finem thoracem pulsat, ut qui dolium pulsat, exploraturus, an id resonet, seu an id liquore aliquo plenum sit, vel vero non sit.

Hominem, in quo experimentum instituit, sedere iubet, et tenui syndone vel indusio solo indutum iubet spiritum attrahere, attractumque retinere. Tunc vero pulsat digitis exporrectis, manuque tota partes thoracis varias, dorsum infra scapulam, latera, pectus anterius paulo supra mammam, auscultans, an percussus thorax resonet, sonitum edat; vel

an

an percussus thorax *obtusum* sonum edat, uti solent corpora solida ex toto, aut uti solet percussum femur.

Certum enim est, pulmonibus aëre inspirato et retento explicatis, si thorax percutiatur, resonantiam quandam vel sonitum dolii vacui edi. (Ostendam id in aegris aliquando).

Ponas iam thoracis, e. g. cavum dextrum aqua repletum esse, pulmo illius lateris erit compressus, aëri recipiendo retinendoque impar. Hinc functionem pulmonum peraget pulmo socius. Pulmo ergo dexter ab aquis compressus in exiguum saepe spatium, et explicari impotens erit. Iam si thoracem dextrum percutias, sonitum edet, non quemadmodum cava corpora solent, sed prouti solent corpora solida. Sonus est valde diversus a sono alterius lateris.

Quaestio nunc est, quid doceat percussio thoracis non resonantis sub percussione.

Respondeo : Percussio non resonantis thoracis docet, pulmonem illius lateris aëris recipiendi incapacem esse, deletas esse vesiculas pulmonales.

Modum vero, quo id fit, materiem, quae hanc vesicularum compressionem facit, ut aër recipi nequeat, percussio non docet.

Hinc solum hoc signum a percussione petitum neutiquam sufficit, neutiquam tamen spernendum, cum omnia alia signa subinde ambigua sint, ut hoc etiam accedente certa evadant. Dein percussio docebit, quonam in cavo morbus haereat.

Videamus nunc, sub quibus conditionibus percussus thorax non resonet. Dictum in genere superius, pulmone aërem non continente non fieri sonum. Hinc thorax percussus non resonat: 1) in gravi peripneumonia, in latere affecto. Pulmo inflammatus, durus, carnosus, voluminosus est, aërem inspiratum non recipit, estque instar corporis solidi. 2) Pulmo maximam partem obstructus, tuberculosus, scirrhosus: ratio in promptu est. 3) Pulmo compressus aquis, uti in hydrothorace, aut etiam pure, uti in empyemate. Hinc etiam utimur hoc signo ad determinandum empyema, aliis signis simul sumptis.

Modus percussionis is est: fiat 1) in sedente, 2) aëre copiosius inspirato, et diutius sub percussione retento, 3) in non valde pinguibus.

Hydrops *ascites* et anasarca nihil habent, quod in superioribus aut expositum non fuerit, aut facile possit ex iisdem intelligi.

Alia est hydropis abdominalis species, ubi aqua extra peritonei saccum, seu inter peritonaeum et musculos abdominales, vel intra ipsos abdominis musculos continetur.

NB. *Hic singuli hydropes explicandi veniunt.*

TYMPANITES.

De tympanitide hic aliqua subiungam, quem morbum aliqui *hydropem siccum* apellant.

Flatulenta et perstans abdominis elevatio tympanites audit. Abdomen tensum est, et percussum non fluctuationem, sed resonantiam prodit.

Non

Non confundatur cum colica flatulenta, neque cum meteorismo. Illa enim dolorifica est, et transitoria: hic vero symptoma febrium acutarum.

Male creditur tympanitidem asciti frequentissime iunctam esse; id perraro contingit.

Sedes tympanitidis est saepius cavum intestinorum praecedente atonia et paralytica diathesi tubi intestinalis, a quibuscunque demum morbis praegressis, in helluonibus, potatoribus etc. post diarrhaeam longam, dysenteriam chronicam, neglectam, opio, adstringentibus tractatam; erosiones, abscessus, ulcera intestinorum, obstructiones viscerum abdominalium, e. g. hepatis; bilis inertia etc.; convulsiones et spasmi diu perstantes in intestinis, ubi aër diu interceptus intestina distendit.

Datur et teste *Hippocrate* tympanites acutus, quem phlebotomia solvit. Est species meteorismi inflammatorii. Stimulus inflammatorius convulsionem spasmumque facit intestinorum: aër concluditur, et intestina distenta fiunt *tympanitica*.

Est et alia tympanitidis species, ubi aër extra cavum intestinorum rarefactus existit. Haec species est rarissima.

Potest 1) aër fixus ex humoribus in cavo abdominis collectus, et putrefactis aqua, sero, pure etc. extricari. Potest 2) ex viscere aliquo vicino putrescente, ruptoque sibi intra abdomen viam facere. Aut 3) ex pertusis distractisque intestinorum distentorum parietibus,

Hal-

Hallero teste, dehiscentibus fibris, sibi viam facere. Id ars imitari aliquo modo potest.

Flatulenti tumores, seu emphysemata interdum sunt observata. Legitur aër solum exteriore tunica vesiculae felleae conclusus. Saepe visae sunt vesiculae sub extima hepatis, lienis, mesenterii membrana.

Flatulenti tumores externi, emphysemata externa a plerisque chirurgorum in aegrotantium scroto agnoscuntur. Item variis aliis in partibus leguntur emphysemata sub cute nata esse: aër cum strepitu diffugiebat sub digito premente.

Cura difficilis, et ex notione causarum morbificarum petenda.

MONITA ET PRAECEPTA.

1. Hydropem saccatum, annosum, non auctum, qui facile fertur, non attingito, et omnium minime per purgantia.

2. Omnis hydropis curatio longa est per se: cave, ad heroica fortioraque auxilia accedas, si intra paucas septimanas nil profeceris. In hydrope enim non deficere, est proficere.

3. Solventia, subtonica, aperientia, vel sola, vel mixta, ita ut aperientibus tonica iungantur, immedicabiles visos hydropes saepe sanant.

4. Non quovis anni tempore aeque felix, aeque facilis est hydropis curatio. Autumno sero, tempore frigido humidoque simul parum proficies: sufficiet tunc aegrum non peius habere.

5. Nec quovis in loco aeque facile hydrops curatur. Commoratio in editis, mon-

tosisque, itineratio in plagas elatiores saepe conditio sunt, sine qua non curatur hydrops.

6. Prognosin formes ex auferibili causa remota, aetate, et viribus coctricibus bonis, et febris absentia.

7. Cave hydropem confundas cum graviditate, et vice versa. Error frequens et ignominiosus. Contingit in clandestine gravidis, ubi tandem vivus hydrops in lucem prodit.

V.

LUES SIPHYLITICA.

Vix saevior pestis terris incubuit, quam lues siphylitica, cuius nunc descriptionem exordior.

Grassatur per universum fere humanum genus, nuncque eo magis, quod orbis ferme totus in unicam ferme civitatem coaluerit, et remotissimae gentes, toto oceano ab se invicem divisae, mutuo rerum, corporumque commercio utantur.

Urbium magnarum incola est hic morbus, ita ut inter praecipuas pertineat maioris mortalitatis causas, observatas semper in urbibus populosis.

Nihilominus agrestem quoque plebem haec lues contaminat, cum impura urbium venus suas subinde excursiones faciat, rusque petat; mili-

milites, famulitiumque numerosum, quod heros suos comitatur, plebeculam rusticanam hac peste inficiunt.

Multae Magnatum familiae extinguuntur non raro, quod propagandae proli, a lue olim miserrime multati, haud amplius pares sint; aut eam generent infirmam, parentum vitiis notatam, et praedam mortis praematurae.

Ea quoque calamitas affligit miseros subinde, ut aliquo adhuc pudore ducti, morbi curationem rite subire non possint, aut ab agyrta, ab veteratore versipelli, artis tamen ignaro, ineptissime curentur, curationemque subeunt morbo ipso peiorem.

Quaedam de morbo hoc in genere praemittam; dein, cum eius definitionem habeamus nullam, sed latam vagamque solum descriptionem, narrabo modum, quo is ut plurimum solet communicari, latiusque serpere.

Ac primo de antiquitate luis disceptatum. Obtinuit hucusque *Astruciana* opinio, morbum esse ante annum 1493 incognitum, aliunde ad nos delatum. Sunt, qui ex Africae sinubus interioribus illum repetant: at plerique eum ex America ad nos delatum arbitrantur.

Nuper primum Cl. *Hensler* invictis, ut reor, argumentis demonstravit, morbum antiquissimum esse orbis veteris incolam, maleque aliunde repeti.

Sed quae vix capias: nesciebatur *gonorrhaeae nexus cum coitu impuro*: nesciebatur *gonorrhaeae connexio cum lue universali*: ignorabatur *ipsa lues* tanquam morbus specificus.

Gonor-

Gonorrhaeas enim aut sponte oriri, aut ex nimis abundanti semine prognasci existimarunt. Non pauci accusarunt menstruum sanguinem, cuius esset in masculo gonorrhaeam excitare, qui cum menstruante esset congressus. Quidam gonorrhaeam oriri autumarunt ex congressu cum faemina fluore albo laborante, aut aphtis prurientibus pudendorum. Sed fluxum album specificum non agnoverant, nec ulcuscula boni moris a malignis distinxerant. Ipse *Hippocrates* sapedones, seu putredines pudendorum, et strangurias, dysuriasque etc. quodam anno frequentius observavit, existimavitque id pertinere ad epidemicum: quamvis hac in re aliquid veri lateat, suo tempore explicandum. Morbi siphylitici causas in astris eorumque coniunctione varia, seu constellatione quaesivere: ut archiater quidam pontificius, quemadmodum est apud *Henslerum*, summo numini gratias agat de cura summi Pontificis ex morbo siphylitico, quem sanctissimus pater ob fatalem illius anni regnantem constellationem contraxerat.

Verum postquam detecto novo orbe humana industria acueretur in dies, cum nova fierent inventa, cum observationibus artes scientiaeque ditarentur, primum observatum est, gonorrhaeam morbum esse specificum, suique generis, et ab impuro commercio cum foemina eodem specifico morbo laborante obtineri.

Necdum vero sciebatur gonorrhaeam inter et luem confirmatam nexum quendam esse: et ipsa lues nondum agnita fuit tanquam unicus morbus.

Tot

Tot enim illius symptomata, eaque inter sese externo aspectu tam disparia; decursus exitusque tam varius, tam varii variarum partium effectus sunt, ut non unus, sed totidem morbi videantur, confusi cum aliis, ob similitudinem quandam externam.

Antiquissimum cum *Henslero* pronuntiavi, atque inter Aegyptios, Iudaeos, Graecos dein et Romanos perfrequentem, ut quasdam harum gentium consuetudines, mores, leges ac statuta forte inde possis repetere.

Sic praeceptum circumcisionis, antiquissima plane consuetudo, idcirco fortassis instituta fuerat, atque tanquam ritus sacer, tanquam praeceptum quoddam, de quo dispensari nemo queat introducebatur, quod circumcisus videatur difficilius morbum urethrae contrahere, rariusque ablato scilicet praeputio, intra quod virus haeret, rodit, cancros facit: quod et ipsum efficitur pessime in phymosi, paraphymosi. Glans ipsa in homine minus facile virus resorbere videtur, occallescens nempe.

Nota virginitatis sedulo examinata est in neonuptis puellis; custodia foeminarum per totum orientem; adulterii crimen, maxime foeminarum, morte expiatum videntur docere, scivisse antiquitatem remotissimam, morbum quemdam gravem, immundum a vulgivaga venere *dari*, et *communicari*. *Iobi* morbus iuxta *Calmet* fuit siphyliticus.

Videamus nunc, quaenam sint veneni siphylitici proprietates. Sunt autem ferme sequentes:

1. Homini soli proprium est. Canes infici non poterant. In aliis animalibus experimenta nulla novi facta. Reiterenda tamen essent experimenta.

2. Videtur ex homine ipso natum esse venenum hoc: neque aliunde e. g. e regno vegetabili vel animali communicatum, quemadmodum venenum rabiosum, communicatum homo habet.

3. Videtur ergo in homine initio sponte ortum, etsi ignoretur sub quibus conditionibus, an ex spontanea degeneratione humoris genitalis, vel vero humoris vaginam urethramque oblinientis in homine valde venereo.

4. Vix nunc amplius videtur sponte unquam oriri, etsi possibilitas negari nequeat; et subinde dubium, vel inter medicos, subortum sit luis spontaneae.

5. Varie modificatur in variis corporibus, ita ut quosdam gonorrhaea levissima, alios gravi, quosdam cancro venereo multet, quosdam lue radicata sine his malis topicis, etsi *idem* sit, et ab eadem meretrice acceptum; quosdam etiam omnino non adficiat.

6. Neque idem morbus est omni anno, annique constitutione. Oculati practici, prout in variolis et morbillis, ita etiam in hoc morbo aliquid Epidemici, aut maiorem minoremve certis quibusdam constitutionibus contrahendae luis facilitatem; curandi difficultatem, et letalitatem observarunt.

7. Agit in partes aut ulceratas, vulneratasque, aut solo epithelio tectas. Vix in eas, quas cutis ipsa tegit, nisi diu affrictum. Hinc solo accubitu vix communicatur.

8.

8. Agit plerumque initio, ubi applicatur, inflammando, rodendo. Subinde sine praegressa aut inflammatione, aut erosione recta sanguinem petit.

9. Neque acidum est, neque alcalinum.

10. Viribus vitae validis robustisque, et systemate nerveo non valde irritabili *diu cicuratum* fertur. Hinc in quibusdam per annos latet innoxie.

11. Depressioribus vero viribus, aetate, morbo alio depressis, evolvitur saepe.

12. Connata lues saepe usque ad annos pubertatis latet, tunc vero evolvitur.

13. Viribus vitae auctioribus, medicamentis stimulantibus, sudoriferis, febre acuta superveniente, reliquiae venereae mercurio non amplius domandae, expelluntur non raro: item alterantibus, potenter resolventibus.

14. An lues radicata unquam sponte sanatur? vix videtur, nisi forte levior, recens, in robustis.

15. Solus mercurius hucusque morbum hunc sanat specifice. An evacuando, an vero humoribus nostris mixtus cum viru venereo veluti amalgamatus? An virus venereum eo misto veluti neutralizatur. Hoc equidem videtur: prout mercurius in cinnabari a sulphure iners redditur, ita hoc venenum a mercurio.

16. An sufficit, ut mercurius veneno huic occurrat, ut sese uniat? Respondeo non, sed requiritur, ut subigantur inter se, quod fit ope vasorum et circuli.

17. An venenum hoc cum mercurio trituratum, non autem simpliciter mistum vim retineret contagiosam? non puto. 18.

18. An mercurius quidam solubilis in aqua, mucove, cum viru venereo mistus luem daret: non puto. Ex mercurio tali in aqua solubili puto remedia prophylactica, tam Anglicanum quam Gallicum constare. Mercurius sublimatus huc faceret, utpote solubilis, at rodendo noceret. Novi aliam mitissimam solutionem aquosam, quae multum mercurii capit, quam tamen vulgare nolo, ne abusus inde fiat damnandus, et in bonorum morum perniciem. Sed eodem remedio tentabo saltem curam ipsius luis.

19. Morbus hic hominem plus una vice corripere potest: secus ac morbilli et variolae,

20. Subinde per multos annos palliantibus cicuratus, at non depulsus, iteratis vicibus contractus, luem perennem, mitem quidem, sed incurabilem, in seros nepotes propagandam facit.

21. Iuvenes irritabiliores, tenuiores, morbidi, citius et potentius afficiuntur, quam alii.

22. Subinde diu haeret in urethra. Subinde cito et recta suscipitur intra massam humorum circulantium, et luem facit: uti virus rabiosum.

23. Aestate saepius gonorrhaea, hyeme bubo et lues.

24. In homine venereo miasma non videtur posse communicarci alteri, nisi id forma muci, vel puris alteri immediate applicetur. Humores circulantes, excreti, secreti hominis venerei vix videntur vim contagiosam possidere, saltem iuxta observationes

multorum. Hinc sanguis, urina, foeces, perspirabile hominis venerei vix continent miasma communicabile.

25. Communicatur lues 1) *coitu*: communissime si vir gonorrhaea laborans cum sana, aut mulier leucorrhaea venerea, vel ulcusculis venereis pudendorum affecta coëat cum viro sano. Venereus, sed sine malo topico genitalium vix videtur inficere foeminam, saltem ex mente plurimorum, uti et vice versa. Vidi saltem viros luosos, sed sine gonorrhaea, luem non communicasse. 2) *Contactu*: osculo e. g. ita novi nutricem proli, hanc matri et toti familiae communicasse. Si scilicet oris ulcuscula adsint, unde misma salivae irretitum osculanti immediate adplicatur. Poculo saliva venerea ob ulcera venerea imbuto; veste, lecto, accubitu, sed tunc solum, si pus venereum his modis exceptum alterius corpori adplicetur. 3) *Lactatione*: novi proles magnatum, prolem medici infectam a nutrice; si ea ubera fissa, ulcerosa exhibeat, si osculo pus affricet. An ipsum lac miasma continet, quo infans nutritur? vix videtur, nisi abluat partem ulcerosam, et pus secum ferat. Dimidiam, et forte duas tertias partes nutricum infectas deprehendimus. Si foemina conceperit ex vaga et ignota venere, non autem ab amasio suo; si a milite, intineratore, in hospitio publico, aut via publica; si saepius iam et a diversis, suspicio est, eam infectam esse, nec pro nutrice quadrare. 4) *Generatione*. An semen ipsum infectum est? an solummodo inficitur in transitu per genitalia patris aut matris pure venereo infecta? ita ut

ipse

ipse foetus iam sit siphyliticus? an potius foetui lues primum communicatur in nativitate, dum transit per vaginam pure venereo infectam? respondeo: id quidem videtur.

26. Etsi varie modificetur et intendatur virus venereum in variis corporibus, idque ob ipsam differentem corporum praedispositionem, tamen id videtur in se nunc mitius, nunc acrius esse.

GONORRHAEA.

Aggredior morbi ortum, quo is utplurimum in homine antea sano oriri solet, explicare. Vir sanus cum infecta muliere coeuns aliquot ab inde dies non ingratam in glande penis titillationem experitur; nonnunquam et crebrius stimulos venereos, quibus inductus iterato novam venerem exercet, et morbum accelerat. Erectiones crebriores, frequentior mictus, et pollutio nocturna. Hucusque primum stadium, seu infectionis habetur, nullo certo dierum numero comprehensus; raro ad plures septimanas excurrit.

Inde orificium glandis tumet, rubet, hiat, calet, datque muci puriformis, flavo-virescentis pauxillum. Mictus stranguriosus, ardens, frequens, cum fluxu saniei flavae, flavo-virentis, subinde sanguine striatae, et erectio dolorifica, est secundum stadium, seu inflammationis. Tandem sensim sine sensu, dolore cessante, et mutato colore puriformis materiae in albidum, mucosum humorem, omnia priora symptomata disparent, et aeger pristinam sanitatem recipit.

Priusquam ulterius progrediar, et curam ostendam, alia quaedam sunt praemittenda,

ac omnium primo, quid sibi medici sub nomine gonorrhaeae velint.

Vis vocabuli haec est, quod sit fluxus seminis: inepte et ex erronea opinione inditum est hoc nomen; semen enim esse primitus credidere. Sub nomine gonorrhaeae intelligimus muci puriformis effluxum saepius cum dolore coniunctum ex urethra. Definitio haec generalis est, et omnes gonorrhaeae species, etiam non venereas complectitur. Quidquid ad urethram delatum illam inflammat, sollicitat, glandulas muciparas ad copiosiorem et dolorificam muci secretionem vellicat, gonorrhaeam facit, sed differentem ab hac venerea. Sic cui materies arthritica, erysipelatosa, rheumatica, casu non infrequenti, ad urethram deponitur, id quod in priori nosocomio aliquoties vidimus. Sic summo senio mictus dolens, stranguriosus cum materie puriformi notus morbus est sub nomine *stranguriae senilis*, et est a materie arthritica; sic *haemorrhois* vesicae, potius urethrae, mucosam gonorrhaeae speciem exhibet. Haemorrhois urethrae a gonorrhaea, a candelis; haemorrhois mucosa imposuit pro ulcere urethrae. Item immundities, maxime in foeminis. Item phymosis connata, retento lotio mucove, dolorem ad urethrae orificium facit, speciemque gonorrhaeae; vidi casum. Assumpta acria.

Erroneae opiniones circa gonorrhaeam plures viguere. Scilicet 1) materiem effluentem esse semen, 2) esse pus verum, 3) esse semper ulcus et erosionem, 4) materiam gonorrhaeicam esse diversam ab ea, quae luem facit.

Ad

Ad primum: semen non esse consta, cum id ordinarie sine erectione non secedat, et gonorrhaea affecti verum semen emittant diversum ab eo muco. Male ergo nomen inditum est gonorrhaeae a genitura.

Ad secundum et tertium: in simplici gonorrhaea non esse pus verum, sed mucum a vellicatis, subinflammatis, inflammatis glandulis copiosius secretum, ostendunt praeter alia etiam *sectiones*. Plures tales Morgagnius habet. Vidi quoque et dissecui urethras subinflammatas quidem, sed sine ulcere. Non nego, non dari subinde in gonorrhaeis ulcuscula urethrae, sed ea effectus gonorrhaeae potius sunt, quam causa proxima. Idem hic contingit, quod in catarrho, ubi materiem coctam, puriformem aeger magna copia quotidie reddit, sine laesione tamen continui; sine ulcere faucium, asperae arteriae, pulmonum: est enim solummodo mucus trachealis, pulmonalisque copiosius secretus, seu mucus defendens consuetus, sed insueta copia secretus,

Quarta quaedam opinio illa est, quae materiem gonorrhaeicam diversam a luoso miasmate statuit. Duplex ergo venenum dari, gonorrhaeicum unum, alterum luosum. Haec opinio a magni ingenii medico iterum resuscitata, et persuasibili plane modo est proposita. Potiora argumenta haec sunt: 1) gonorrhaem nunquam in luem abire, darique gonorrhaeas innumeras sine lue, 2) gonorrhaeas remedio specifico, mercurio nempe non sanari, sanari autem luem. Verum opponimus ab eadem meretrice unum gonorrhaeam, alium cancrum venereum, tertium luem accipere; esse ergo

 idem

idem reapse virus, sed sub forma differente. Materies ex cancro venereo accepta facit gonorrhaeam. Idem ferme error in argumentando hic committitur, qui committitur, si quis diceret hanc vel illam intermittentem non esse veram intermittentem, quod scilicet cortici, seu remedio specifico non obediat.

Dividitur gonorrhaea 1. ratione stadii. 1) Stadium infectionis; 2) inflammationis, 3) resolutionis; quod et aliquibus stadium exsiccationis audit.

2. Dividitur a tempore, seu duratione. Si enim sex septimanas morbus superet, chronica seu habitualis audit. Videbimus diversas causas huius chronicae gonorrhaeae.

3. Humida, qualis plerumque esse solet, saltem initio. At subinde vino, venere, acribus, et balsamicis irritatus morbus in gravem urethrae inflammationem transit; glandulae muciparae, quae subinflammatae multum muci fundunt, potentius inflammatae nil muci largiuntur, et morbus audit gonorrhaea sicca. Gravior est multo, quam prior humida.

4. Gonorrhaea glandis, ubi e glande eiusque glandulis mucus illi analogus, qui ex urethra secedit, secernitur.

Propositis his de natura gonorrhaeae opinionibus variis videre iuvat, quae methodus medendi bona sit, et indicata. Haec vero patebit et determinabitur, si cogites, te inflammationi urethrae ab acri applicato productae mederi debere.

Curatio ergo omnis est antiphlogistica (loquimur hic de vera et recenti gonorrhaea). Eaque in sequentibus consistet. 1. In venae

sectio-

sectione, si dolor urgeat. 2. In diaeta sine carne, et mere vegetabili. 3. In usu emulsorum nitrosorum, altheae, malvae. Infusum theatum seminum lini quidam ruri accipiunt. 4. In usu iniectorum emollientium e. g. solius emulsi. Iniectio non sit rudis; fiat pene post locum dolentem leviter compresso. Fotus, balnea, cataplasmata.

Male aliqui iniectiones omnes metuunt, cum tantum sint reiiciendae iniectiones adstringentes: hinc malae sunt iniectiones ex aqua vegeto-minerali.

Mala praxis illorum, qui therebinthinam assumunt, uti vulgus solet; aut balsamum de copaiva in pilulis, in ovo sorbili; aut adstringentia interna, item plumbata. Absit vinum, equitatio, aromata, et quaevis gravior corporis exercitatio.

An purgantia bene dantur in gonorrhaea? non puto, cum nulla reapse antiphlogistica purgantia dentur, et omnis purgans plus minus humorum motum augeat. Male ergo drastica olim praescribebantur. Non bene datur rheum in hoc stadio; etsi id serius, et dolore iam nullo, fluxuque iam albido facto multum prosit,

Eodem tempore, scilicet exsiccationis, rheum tostum, myrobalani, therebinthina, balsama quaevis; essentiae, e. g. pimpinellae; decocta radicum et corticum roborantia; balnea penis frigida; iniectiones tonicae; aquae martiales; aqua calcis cum et sine lacte.

Alia est methodus per diuretica, eaque saepe acria, qualia ex cantharidibus parantur, gonorrhaeas curandi. Verum non medici, sed in-

insanientis hominis est, in urethrae inflammatione, mictu ardente et summe dolorifico ea exhibere, quae ex sua natura systema uropoieticum pariter inflammando afficiunt.

Eo insaniae quidam olim processerunt, ut gonorrhaea laborantibus manustrupationem suaserint, ut sic, perversa opinione ducti, a semine morbido liberentur. Nemo ne medicorum id suadebit; sed iuvat plebeias has opiniones nosse, ut data occasione illas refellere apud aegros possis.

Opinio aeque prava illorum est, qui arbitrantur coitu acceptam gonorrhaeam posse alterae foeminae sanae coitu communicari, ita ut mas ab eadem simul liberetur. Non narrarem stultas has opiniones, nisi scirem eas multum valere apud rudes, et infimam plebem, esseque tantopere perniciosas.

Methodo antiphlogistica ita adhibita color virescens muci colorem albidum induit, parcius stillat, et omnis tandem dolor abest. *Stadium hoc exsiccationis* audit. In gonorrhaea non gravi omnia sponte sanantur, ita ut sine artis adiumento laxae glandularum urethrae orificiola stringantur, hicque muci fluxus tandem siccetur. In morbo vero graviori tonicis opus internis et externis, iisque nempe, quae supra commemoravimus.

Tertium hoc exsiccationis stadium nonnunquam diutissime protrahitur: pergit enim diutissime fluxus materiae albicantis et benignae. Haec materies nullum amplius virus gonorrhaeicum continet, neque foeminae fluor albus venereus per hanc communicari potest.

Dupli-

Duplici ex ratione hic fluxus diutius pergit: 1) quod oscula glandularum muciparatum fuerint relaxata morbi tempore, et 2) quod maior humorum secernendorum affluxus, ablato licet omni stimulo acri et venereo, nihilominus aliquamdiu perseveret, idque iuxta legem, quae in toto reliquo corpore pariter obtinet.

Prout ergo haec materies albicans venerea non amplius est, ita neque est purulenta, sed est mucus ille naturalis urethram obliniens.

Hoc tertium stadium, casu forte diutius protractum appellant gonorrhaeam benignam. Curatio est roborans.

Gonorrhaea haec benigna subinde habitualis et chronica evadit, si morbus hic in plures saepe menses producatur. Fluxus est materiae albicantis, indolens tamen semper, maxime post somnum, motum corporis, assumpta alimenta.

Ratio eius haec est: si aeger debilis laxusve per se, in gonorrhaeae venereae non gravis stadio secundo, seu inflammatorio, non tantum methodum antiphlogisticam adhibeat, sed eam faciat morbo graviorem; si sanguinem, ultra quam morbus poscit, amiserit; largo copiosorum potulentorum emollientium usu ventriculum, et totam compagem corporis fregerit, et universalem atoniam sibi induxerit; fiet inde mucosus et chronicus materiae ex urethra fluxus: seu gonorrhaea benigna habitualis. Alia est adhuc gonorrhaea habitualis, sed *maligna*, de qua inferius.

Vidimus supra gonorrhaeae symptomata communia: Ea vero quaedam subinde gravissima sunt, et acceleratam opem sibi poscunt: de his nunc erit agendum.

1. *Ardor ingens inter mingendum*: is mitigatur, si antea levi pressivae digitorum facta puriformem humorem ex urethra exprimas, dein urethra retro locum dolentem compressa iniectionem emollientem: e. g. ex emulso amygdalino, vel consimili materie facias, et pene demum in balneum tepidum topicum immisso lotium dimittas.

2. *Urinae suppressio*: duplicem causam habet in recenti gonorrhaea: 1) spasmum urethrae et sphincteris ob ingentem irritationem ab acri venereo gonorrhaeico. Tunc vero per vices solum accedit ea suppressio, estque solum temporaria.

Priori methodo per iniectionem, muci puriformis acrisque expressionem, et balneum, brevi et facili negotio tollitur haec urinae suppressio.

At subinde gravior quaedam est causa, quam vidi, et ex qua hominem vidi periisse. Nempe urethrae inflammatio tanta est, ut eius cavum et canalis deleatur. Haec causa periculi plena est, neque tam cito tolli potest. Venae sectiones largae, topicae, in ipso pene, hirudines ibidem adplicatae, balnea emollientia, enemata emollientia etc. prosunt, cito applicata.

3. Eandem causam, magnitudinem nempe inflammationis, vel potius acrimoniam veneream validius irritantem habet assidua et dolorifica *penis erectio*, vel in directum, vel cum incurvatione. Medela eadem.

4.

4. *Phymosis* dicitur, si praeputium in viris (labia pudendi in foeminis) tumet, rubet, calet, atque universim si id sit inflammatum. Phymosis nativa, phymosis acquisita non venerea.

Retrahi in hoc statu retro glandem inflammatum praeputium non potest. Hinc puriformis et acris materies intra glandem et praeputium collecta, mora acrior evadit, glandem praecipue circa coronam inflammat, rodit, ulcusculum facit, quod cancer venereus audit. Haec puriformis materies est ea ipsa, quae ex urethra, in foeminis ex vagina profluit; item ea, quae ex glande, et ipso praeputio transsudat.

5. Paraphymosis audit, est aliud gonorrhaeae, idque gravius symptoma, si praeputium retrotractum antea, nunc inflammatur, et inflammatum glandem strangulat.

Tum phymosis, tum paraphymosis subinde est ab oedemate calido; tumor tunc est praeputii, seu is ante seu retro glandem fuerit, albicans, cristallinus ferme atque pellucidus, attactu calens dolensque.

Utrumque symptoma exigit 1) emollientia, balneo, fotu, cataplasmate, iniectione applicanda. Item 2.) discutientia, qualia parantur ex mica panis albi, floribus sambuci cum lacte coctis, adiecta pulpa pomorum acido-dulcium, pauxillo sacchari saturni, aceti litargyrii, camphorae. Lac mercuriale: huius utilitas prae balneis et iniectionibus. Haec si adhibeantur, rarissime opus erit operatione chirurgica.

Est et tam phymosis, quam paraphymosis 1) ab oedemate frigido, quod post morbum observatur. Curatur fotu vinoso, faecibus vini, herbis cataplasmatis coctis, purgante rhabarbarino ec. 2) a scirrhosis praeputii glandulis. Tunc autem interne cura siphylitica. Externe balneum penis ex solutione aquosa mercurii sublimati corrosivi. Aconitum, cicuta cum mercurio.

Haec sunt graviora gonorrhaeae symptomata, quorum pleraque potissimum viros concernunt.

Iuvat hoc loco de gonorrhaea muliebri peculiariter agere.

Aliquot ab infectione dies sentitur pruritus in pudendo muliebri, et mador insolitus; accedunt dein indubitata superficiariae inflammationis signa, calor dolorque. Stranguria minor est, quam in viris; pus profluit, aut potius puriformis materies flavovirescens. Sedes potissimum est in glandulis vaginae, eiusque plicis, urethra licet non penitus immuni. Morbum facilius tolerant quam viri, cum urina acrior affectas partes, vaginam nempe non afficiat, tum etiam, quod gravioribus symptomatibus, phymosi, paraphymosi, gonorrhaea chordata, itemque aliis incommodis, ob differentem partium affectarum structuram, sint foeminae immunes.

Verum utut facilius morbum perferant; tamen difficilius curantur. In viro enim venenum gonorrhaeicum minus diu stabulari in affecta parte potest, sed cito frequenterque eluitur, frequenti mictu. At vero in foeminis acre gonorrhaeicum diutissime saepe intra pudendi vaginaeque plicas haeret. Dif-

Difficilis admodum est gonorrhacae muliebris diagnosis a fluore albo non venereo. Cautissimos esse oportet hac in re.

Fuere, qui ex colore iudicium ferunt, eumque, qui viridescens, flavescens sit, venereum pronuntient. At quam maxime infidum hoc signum est, cum quivis fere fluor albus diuturnior hunc colorem induat.

Alii venereum statuunt, si mox in initio fuerit rodens, et cum stranguria, dein vero tractu temporis mitescat. Id vero, utut magna probabilitas accedat, subinde tamen videtur fefellisse.

Sunt, qui venereum asserant fluxum, si non intermedio solum inter menstrua tempore, neque ante et post menses per aliquot solum dies, sed si is una cum menstruis fluat. Vidi autem et hoc non sufficere pro statuenda venerea fluxus indole.

Neque pudendi muliebris excoriatio cum fluore coniuncta signum dant diagnosticum fluoris venerei.

Diagnosin vero sat certam inde haberi arbitror, si mulier sana, antea non chlorotica, exacte semper menstruare consueta, sine aliqua alia sanitatis laesione, repente in fluorem album, albo-flavo-virescentem et acrem incidat, nulla nec antecedente nec subsequente mensium anomalia. Si post aliquot septimanas acrior antea materies nunc incipiat mitescere, et tandem dolor evanescat, humorque puriformis flavo-virescens mutetur in humorem benignum albidumque. Omnia aliter se habent *ut plurimum* in fluore non venereo.

Dis-

Disserui hucusque 1) de natura simplicis gonorrhaeae, 2) de congruente methodo medendi; 3) de symptomatibus deinde gonorrhaeae gravioribus; superest, 4) qui gonorrhaeae gravioris, neglectae, mala methodo tractatae effectus sint, quique alii morbi gonorrhaeam perverse aut infortunato curatam excipere soleant. Suntque hi ferme sequentes: mictus difficilis, urina tenuissimo filo emissa, mictus abolitus ec. quae vitia ex hisce causis proveniunt.

1. *A spasmo urethrae*. Urethra enim antea inflammata irritabilior subinde est solito, et spasticae contractioni per vices obnoxia: inde temporaria urinae suppressio molestissima nonnunquam aegrum exercet; gonorrhaea licet iam sanata. Profuit iniecta mucilago seminum cydoniorum, praecipue si abrasus sit mucus defendens.

Nonnunquam quaedam est veluti urethrae subinflammatae siccitas, ut si aeger urinam diu non miserit, neque fiant crebrae et mucilaginosae iniectiones, contigui parietes urethrae veluti coalescere incipiant, ut aeger postmodum non nisi magno cum dolore, immisso cereo, et sic dilatata distractaque urethra lotium mittat. Huius phoenomeni aliud quoddam exemplum dari potest in inflammatione pulmonum et contiguae pleurae, quae partes tempore inflammationis ita sibi nectuntur, ut cohaesio haec praeternaturalis per omnem saepe vitam maneat. Id incipit subinde fieri post gonorrhaeas, eas praeprimis, quas *siccas* appellant.

2. A tumore glandularum residuo. Glandulae antea inflammatae, etsi inflammatio iam disparuerit, subinde manent longo adhuc tempore solito grandiores, tumentque, at tumore utique non inflammatorio. Res in exemplo patet: qui tonsillas in angina semel inflammatas habuit, is licet iam sine febre, et inflammatione discussa, habebit tonsillarum corpora ampliora, maioraque. Idem de testiculo olim inflammato. Differt autem haec moles tonsillae a scirrho. Idem in urethra eiusque glandulis contingit: unde mictus tenuissimo filo peragitur, indolens tamen. Iuvabit bacillus, aut cereus, aut chorda, quae sine litu quodam rodente, sola mechanica ratione tumentem glandulam reprimunt, removentque.

3. A membranis urethrae incrassatis; ob eandem rationem. Inde canalis angustiae, cereo, chorda ampliandae. Haec urethrae constrictio frequentissima est mictus tenuissimi causa.

4. A cicatrice urethrae nodosa, vel orta inde urethrae corrugatione, angustia. Eadem remedia.

5. Ab ulcusculo urethrae. Nonnunquam in inferiori et anteriori urethrae parte, prope fraenulum, ubi initium et maior intensio inflammationis fuerit, inflammatio in puncto exiguo vertitur in ulcusculum: ita ut cancer venereus ibidem latitet. Aliis etiam in urethrae plagis talia ulcuscula cancrosa ex eadem causa nascuntur. Dolor in eodem semper loco sentitur, quoties mingitur, et urina acrior eam particulam alluit; item quoties urethram digitis leviter premendo examinas, aut immisso cereo explo-

exploras. Prosunt litus mercuriales pone locum affectum facti, item lac mercuriale iniectum, aut dilutissima solutio mercurii sublimati corrosivi aquosa iniecta: in libra una aquae feret gr. j ß. gr. ij.

6. A carunculis, quos aliqui adesse negant, alii rarissime adesse asserunt, alii affirmant frequentissime observari. Olim certe creberrime illas dari arbitrabantur; inde cereorum medicatorum, rodentiumque compositiones arcanae. Constat nunc eas rarius observari, et angustias urethrae ex causis supra dictis observandas saepe pro carunculis imposuisse. Ceterum de natura harum caruncularum quaesitum est, an sint carnes luxuriantes, enatae ex parte antea erosa: haec opinio dominabatur. Mea opinione carunculae sunt reipsa condylomata urethram internam occupantia. Curationem eandem puto, iniectiones nempe mercuriales, litus, itemque mercurialia interna.

7. Ab haemorrhoidibus urethrae. Sunt qui antea haemorrhoidibus ani vexati, nunc pudendorum haemorroides patiuntur. Gonorrhaea acrior, diuturnior, usus acrium iniectionum, diureticorum ec haemorrhoidariam hanc diathesin pudendorum inducunt. Inde muci subinde et sanguinis profluvium ex urethra. Stranguria, dysuria, ischuria, periodica, continua, alternans cum haemorrhoidibus ani imponit pro ulcusculo. Sanatur leni, sed assiduo eccoprotico, magnesia, hirudine ad anum.

8. A mala et varie affecta glandula prostata: eiusque glandulae inflammatione, suppuratione; abscessuque eiusdem rupto in urethram,

thram, quod fortasse subinde contingit: vel in perinaeum, quod saepe: vel in vesicam; vel denique in intestinum rectum. Etsi hi ultimi modi, quibus abscessus prostatae rumpuntur, sint paulo rarius observati. Inde fistulae.

Ab eiusdem glandulae prostatae scirrho, digito per anum immisso detegendo.

9. Ab emissariis prostatae, vesicularum seminalium, glandularum littrianarum, cowperianarum, aliarumque praetumidis, callosisque; a veru montano nimium tumente. A cellulis, una vel pluribus corporum cavernosorum, nimium dilatatis, et urethram angustiorem reddentibus. Iuvant hic candelulae variae laxas carnes, varicesque comprimentes; praecipue vero candelae perforatae, sine quibus subinde mictus est impossibilis.

10. Incontinentia urinae graves et repetitas, et male curatas gonorrhaeas sequitur. Fit ab eroso assumtoque vesicae sphinctere. Nonnunquam incontinentia solum nocturna, si videlicet paucae adhuc suppetant sphincteris fibrae, quae in vigilante homine vesicam stringunt; at vero in dormiente et hae residuae laxantur, et lotium dimittunt; malum immedicabile.

11. Sterilitas virilis ad morbos pariter illos pertinet, qui ex iteratis et gravibus gonorrhaeis sequi solet. Multae sunt huius vitii causae; sc. defectus seminis boni, prolificique; vesiculae seminales emarcidae, strigosae; semen aquosum, luoso miasmate contaminatum; impedita eiaculatio ob ductus eiaculatorios obcoecatos, imperviosque; urethrae canalis iusto amplior, iusto contractior, morbidus varie, et praeternaturaliter, tortuosus ob ulce-

ra olim praesentia, natasque inde cicatrices. Certe potior sterilitatis virilis causa est impura olim venus, eaque frequenter culta morbive inde contracti, ac male sanati. Hinc qui alendae proli operam aliquando navare cogitat, is vel ex hoc solo capite tenetur vitam omnem, aetatem praeprimis iuvenilem iuxta rectae rationis normam exigere, cavereque, ne praematurae, vagae, exlegi, atque morbo foedo contaminatae veneri spem prolis futurae immolet, atque se tradat morosae, desertaeque senectuti, ac desolatae.

12. Mictus bifidus gonorrhaeam non raro sequitur, perque omnem subinde vitam perstat. Duplici filo mingunt, qui hoc incommodo vexantur. Equidem nullus hic dolor aegrum vexat, nihilominus obesse id puto generationis negotio, neque debitam seminis eiaculationem fieri.

Subinde ita mingunt, ut lotium non recta emittatur, sed ut id perpendiculariter in terram cadat: id pariter generandae proli obesse existimo, ob impeditam seminis eiaculati directionem. Hinc utrumque hoc incommodum omnino negligi non debet. Causa mictus bifidi est exiguum tuberculum aut eminentia in orificio urethrae nata, quae urinam appellentem dividit in bina fila. Eadem excrescentia, idem tuberculum in superiori parte urethrae locatum efficiet, ut lotium illuc delatum in recto suo tramite per id obstaculum deviet, et detortum in terram cadat.

TESTICULUS VENEREUS.

Quod si haec urethrae inflammatio ulterius progreditur, et ob partium vicinitatem va-

sa

sa deferentia, funiculum spermaticum, epydimides, testes corripiat, tumor testis oritur. Videamus potissimas causas testiculi venerei.

Maior quantitas veneni siphylitici corpori applicati subinde ratio sola est, cur testiculus venereus oriatur. Videtur nonnunquam virus venereum sua acrimonia differre, ut certis annis, certis in corporibus minus acre, minus inflammans sit. Acrior ergo indolens huius veneni non solum urethram, sed et testes inficere ,videtur. Fors etiam praecedens aegri diathesis phlogistica ratio est, cur miasma venereum in uno homine gonorrhaeam, in alio testiculum venereum exhibeat,

Deinde scimus, mox ubi venenum susceptum est, tentiginem saepius veneream insequi, quae si obsequiosos habeat aegros, valida illos testium inflammatione multat. At etiam gonorrhaea in primo stadio male curata frequens aeque causa est oriturae testium inflammationis; sic, si balsamicis remediis stadium inflammatorium cures, vel adstringentia interne aut in penem iniiciendo exhibeas; repetitus in stadio inflammatorio gonorrhaeae coitus, diaeta calefaciens, sufficientes omnino causae sunt, cur aegri testiculum venereum contrahant.

Exitus testiculi venerei varius est: vel benigne resolvitur, si levior inflammatio, praecipue autem si idoneam methodum curandae gonorrhaeae adhibueris: at si gonorrhaea parca prius, nunc autem difficilior, aut gravior sit inflammatio, in suppurationem vel gangraenam abibit malum. Sunt etiam corpora ita male disposita, ut cito gangraena sequa-

 tur,

tur. Nonnunquam tanta est veneni acrimonia et inflammans vis, ut morbus cito in gangraenam, aut, quod frequenter accidit, in scirrhum, vel tumorem scirrhoideum, desinat.

Hinc divisio nascitur testiculi venerei, scilicet in *inflammatorium*, *suppuratorium*, *gangraenosum*, *scirrhosum*.

Singulae autem species testiculi venerei aut tanquam morbus mere topicus, de quo hic agimus, vel tanquam symptoma luis confirmatae considerandae sunt.

Si malum sit mere topicum, testiculus venereus curatur methodo antiphlogistica, venae sectione, emulsionibus nitrosis, balneis, semicupiis tepidis, fomentis, cataplasmatibus suspensoriorum ope superimpositis, victuque tenui. Fracta paulisper inflammatione, unguentum de althaea, adiecto mercurio vivo, aut mercurius vivus gummi arabico subactus applicatur. Mala methodus est, quae purgantibus utitur, ubi levissima vel ex cassia, tamarindisve parata purgantia vix conveniunt, uti in omnibus nempe inflammationibus. Pessime a quibusdam durante stadio inflammatorio mercurialia salibus iuncta praescribunt.

Testiculus venereus suppuratus curatur ea methodo, quae aliis etiam suppuratis partibus convenit, eo tantum cum discrimine, ut suppuratione in tali testiculo ad finem fere perducta, remediis externis suppurationem adiuvantibus aliquid mercurii addas, cum haud sis securus, an boni moris suppuratio, an omnino extinctum sit virus siphyliticum.

In gangraena incipiente cortex peruvianus, camphora, externe et interne adhibetur: in graviori malo exstirpatio. *Scir-*

Scirrhus testiculi : subinde verus adest scirrhus, subinde spurius, toto coelo diversus a vero, utpote qui in cancrum abit. Saepe sanatur emplastro de cicuta, addito mercurio; aut unguentum ex gummi ammoniaco aceto soluto, et mercurio therebinthina subacto: internis resolventibus, mercurialibus potissimum, non neglectis.

En potiores gonorrhaeae gravioris neglectae, reiteratae effectus graviores. Transitum facio ad alios morbos a suscepto miasmate venereo oriri solitos.

BUBO.

Tumor glandulae inguinalis, unius, plurium, in utroque, alterutro inguine *Bubo* audit.

Bubo non solum in morbo venereo datur, sed in febribus acutis aeque, rarissime tamen, nisi in pestilentialibus. Bubonum febrilium loco saepius parotis observatur: rarius tumor glandularum subaxillarium.

Subinde bubo est a materie scrophulosa, subinde ab arthritica. Id scitu est pernecessarium, ut ne alterum cum altero confundas.

Bubo venereus duplici modo considerari potest, 1) tanquam symptoma gonorrhaeae gravioris, neglectae; balsamis, adstringentibus, purgantibus, mercurialibus acrioribus tractatae, et 2) datur bubo symptoma luis confirmatae.

Posset idcirco divisio fieri in *bubonem gonorrhaeicum*, et bubonem venereum. Uterque bubo distingui debet probe. Hinc descriptionem dabo bubonis vere venerei, ut eundem dignoscas a gonorrhaeico bubone.

1) Venereus bubo oritur, quin paulo ante praecesserit gonorrhaea male curata aut neglecta, 2) et praegressa sunt, et comitantur actu plura luis iam radicatae signa. Aliter se res habet in bubone gonorrhaeico.

Locum bubonum *inguina* dixi. Aliae glandulae rarius multo afficiuntur: etsi glandulae infectionis loco propiores subinde afficiantur, e. g. mammarum glandulosa pars, glandulae colli, si virus venereo osculo, vel vero per infantem venereum suctione in mammis fuerit communicatum. Peculiariter natura cavit ne glandulae internae tam frequenter et tam levi negotio corripiantur venereo viru: quot enim quaeso mortes essent quotidie observandae, si glandulis e. g. in mesenterio locatis, idem et tam crebro contingeret, quod glandulis inguinalibus?

Bubo gonorrhaeicus eandem ipsam methodum requirit, ac ipsa gonorrhaea. Cum is sit semper, saltem initio, inflammatorius, antiphlogistica omnia adhibenda sunt, et benigna resolutio tentanda est. Errant, qui hos bubones ad suppurationem perducere, et per vim volunt. Hinc errant, qui acribus, maturantibus utuntur. Errant, qui materiam veneream illuc iam depositam existimant, quae suppuratione facta deberet eliminari. Est enim inflammatio simplex et benigna, solo consensu, et ob viciniam inflammatae urethrae exorta. Argumento est bubonem esse benignum, quod si ad suppurationem perveniat, pus inde exortum viru careat, et gonorrhaeam excitare non possit urethrae immissum.

Quod

Quod si tamen inflammatio nimia, nimis diu durans esset, naturaque suppurationem meditaretur, ea esset promovenda iuxta regulas chirurgicas, aperiendusque bubo esset.

Pessima consuetudo est quorundam, ut semimaturos bubones aperiant, ne forte, ut ridicule opinantur, pus iam aliqua quantitate praesens resorbeatur, et luem faciat. Semiapertus difficillime sanatur, et labia dura acquirit, fitque ulcus cacoëthes, subinde cancrosum.

Mala est consuetudo apertorum bubonum labia cultro aut forfice rescindere.

Bubonem inflammatum emollientissimis cataplasmatibus foveto; suppurari incipientem iisdem; tardius suppurantem, vel vero ubi concepto iam pure vicina dura sint circumcirca, emollientibus addenda sunt stimulantia, utpote quae miscela ideam dat maturantis remedii.

Bubo subinde eo in statu est, ut resolvi discutique non possit, neque tamen ad plenariam inflammationem perduci. Manet tumor velut *subinflammatorius* et *chronicus*, ac si vis vitae deficeret et impar esset promovendae ulterius inflammationi. Hoc in casu tentatis solventibus, resolventibus, externis et internis, iuvabit rubefaciens, quin et acrius quoddam inflammans, quin et causticum buboni imponere, ut sic excitaretur inflammatio. Cepa et allium contusum cum pasta e farina mistum et impositum: item melle subacta farina, fermentum panis tunc indicantur. Item paucillum lapidis caustici ad apicem bubonis applicatum per unam alteramve horam levem ibidem es-

charam, at in vicinia inflammationem facit.

Eodem tempore, bubonibus nempe nec resolvendis, nec suppurandis, sed ubi illi in statu quodam chronico et levissimae inflammationis manent, necesse simul est vires vitae victu vinosiori plenioreque erigere.

Plerique bubones alii ad alteram classem pertinent, suntque bubones non gonorrhaeici, non consensuales, sed vere venerei. Oriuntur hi ultimi a viru venereo inflammante, depositoque ad ipsum corpus glandulae. Sunt hi variae itidem indolis, sc. inflammatorii, suppuratorii, gangraenosi, scirrhiformes, vere scirrhosi, scrophulosi, oedematosi, scorbutici, fistulosi, mali moris seu cacöethes, cancrosi. De singulis pauca quaedam. Id autem adhuc notandum censeo *bubonem venereum* subinde luem mere localem notare, ita ut nullibi virus venereum sit, quam in affecta parte, subinde vero denotare luem radicatam et universalem.

Bubones venereos primae speciei, qui nempe oriuntur a viru venereo ad inguina deposito; e. g. a cancro glandis venereo disparente sponte, vel siccantibus depulso, sine remediis mercurialibus externis aut internis. Bubones eiusmodi venerei luem topicam indicantes, si inflammati sunt, ad suppurationem bene perducuntur, et melius agitur, quam si inflammatio benigna resolvatur, etsi verum sit, neutiquam semper in potestate medici esse, locum inflammatum ad suppurationem perducere, cum te nunc vel invito alios sortiri exitus possit. Ratio huius asserti haec est; virus venereum in dicto casu depositum est ad glandulas inguinales, reliquo corpore intacto, et

ve-

veluti *metastasis critica*. Interim neque hae metastases semper necessario sunt aperiendae.

Quod si bubonem venereum inflammatum nihilominus benigne resolvas, necesse semper erit, ut remedio specifico susceptum virus siphyliticum destruas. Sufficiet tunc, utpote *in lue solum topica* quartam partem illius quantitatis remedii specifici ingerere, quae alias in lue recenti, sed universali solet adhiberi: sive nunc frictionem instituas, seu alia ratione hydrargyro utaris.

Bubo venereus *suppuratorius* 1) iuxta communes chirurgiae regulas tractatur, et 2) topica simul remedia mercurialia adhibentur: itemque levior methodus antisiphylitica instituitur.

Bubo *gangraenosus* fit 1) ex magnitudine inflammationis, 2) in corpore pravis succis repleto, bonis exhausto, 3) in atmosphaera nosocomiali, 4) post nimium usum mercurialium et repetitas curas mercuriales, 5) si lui supervenit putredo acuta, febris putrida, nosocomialis, vel vero scorbutica diathesis, 6) si constitutio sit prava: certum enim est, morbos chirurgicos, inflammatorios e. g. tumores, certis annis et anni constitutionibus saepius et facillime in gangraenam abire. Habentur observationes, ubi in castris per aestatem certo anno plurimi ex gangraena morbis siphyliticis pudendorum superveniente, aut pudenda amiserint, aut et vitam. Id adeo novum non est, ut non id ipsum contingat in variolis: certis enim annis pustulae variolarum inflammatae in totidem plagulas gangraenosas vertuntur. Cortex, camphora aceto antisepti-

co soluta, externe applicata, interne data proderunt, tempestive adhibita.

Bubo *scirrhosus* petit usum cicutae internum et externum, antimonium, mercurium sublimatum corrosivum per modum lotionis adplicatum, in aqua solutum.

Bubo solum *scirrhiformis*, item scrophulosus mercurialia interna et externa, guaiacum, aconitum, flores arnicae, eorum extractum, cicuta.

Bubo *oedematosus* frictiones aromaticas siccas petit, et humidas spirituosasque; emplastra aromatica, discutientia e. g. de galbano crocatum.

Bubo *scorbuticus*, ubi ex aperto bubone fit ulcus scorbuticum, carnibus et marginibus mollibus, ac sanguinem vel sponte, vel levi attactu fundentibus, postulat commorationem extra nosocomium in loco elato, victum restaurantem, etiam vinosum; corticem peruvianum, decoctum ligni guaiaci, consevam trifolii fibrini, cochleariae; aquas minerales multo aëre fixo divites ec. Male doses murcuriales medici tunc augent, nam augent et diathesin scorbuticam.

Bubo *mali moris*, cacoëthes, saepius feliciter sanatur, si remotis variis stimulis, simplici deligatione utaris, et communibus tantum digestivis, iisque mitioribus. Item si victum instituas, qui vires suppeditet, ac ea ferme omnia facias, quae in bubone scorbutico facienda proposui, quae enim medicamenta vel exquisitissima non sanarunt, sanavit subinde victus mutata ratio, et tempus ipsum Medicorum princeps.

His

His saepe remediis et medemur bubonibus *fistulosis*, qui tamen iuxta consuetas chirurgiae regulas simul tractari debent.

Bubo subinde est symptoma luis non iam solummodo topicae, sed universalis. Cura principis morbi tunc erit instituenda: topicus vero morbus ad normam hucusque propositam tractari debet.

CANCER VENEREUS.

Definitur is ulcusculum a viro venereo excitatum. Sedes cancri est glans, praeputium, initium urethrae, urethra tota, penis, eiusque externa superficies, quod quidem aliqui male negarunt. En cancri venerei genesin.

1. Macula rubra comparet, ea in papulam quasi miliarem elevatur, rubentem, calentem, dolorificam; tandem apex papulae albescit, et ulceratur; pus linteolo exceptum aut indusio flavescit, virescit; papula demum fatiscit in ulcusculum exiguum, circulare, limbo laete roseo, fundo autem albicante et lardaceo: nonnunquam vice versa labia albescunt, fundus vero profunde rubet.

Divisio cancri venerei est in cancrum venereum *verum* et *spurium*. Spurium nominavi, sollicitissime distinguendum a venereo: saepe enim exanthemata, papulae, quae deinde in ulcuscula desinunt, in glande penis excitantur ab acri etiam non venereo, sed alio quocunque; item a sordibus intra glandem et praeputium retentis, et acribus, in pueris, infantibus, qui sese comminguut, conspurcant, qui coëunt cum sordida foemina, aut quae lochia adhuc, aut album fluorem rodentem experitur,

tur, ulcuscula, seu cancrum *spurium*, *aphtosum* potius contrahunt. Qui turpi vitio nefandopue manustuprationis dediti sunt, subinde papulas prurientes, ulcuscula patiuntur, cancrum venereum mentientia.

Nos hic de cancro venereo *vero* loquemur, denuo subdividendum in cancrum venereum *inflammatum*, ambitu videlicet inflammato; et *non inflammatum*, qualis esse plerumque solet. In *callosum*, *non callosum gangraenosum*, gangraena mox late serpente, *protopathicum*, morbum videlicet mere topicum, et *deuteropathicum*, qui luis iam confirmatae signum est.

Aliae duae cancri species nonnunquam penem occupant, cum his hucusque recensitis neutiquam confundendae. Subinde enim verus cancer, qualis mammas foeminarum infestat, in pene enascitur, tunc praecipue si cancri venerei antea explicati acrioribus, causticis, nempe lapide infernali, mala methodo tenteutur et irritentur. Sunt enim ineptiores quidam, qui cancrum venereum curari nulla ratione posse arbitrantur, nisi erodentibus, lapide infernali ec.

Subinde ex male sana eiusmodi curandi ratione alia cancri species fit, ea nempe, quem nos cancrum fungosum appellamus, ubi e. g. glans penis in fungum, nonnunquam in pugni magnitudinem usque et ultra excrescit.

De cancro venereo sequentia obtinent: 1) cancer venereus, in statu adhuc inflammatorio positus, post coitum impurum una cum gonorrhaea ortus, sive protopathicus, est saepius malum mere topicum. Virus venereum equidem adest, sed in ea parte solum residet, ubi

ubi ulcusculum est, neque massam reliquam humorum contaminat. Idem contingit, quod fieri videmus in homine demorso a cane rabido, ubi virus rabiosum diu manet in parte demorsa, ubi exuri adhuc aut exscindi potest. Idem fit in inoculato viru varioloso, quod per aliquot dies manet in loco insitionis. Interim tamen cancer, seu sit morbus venereus mere topicus, seu signum morbi venerei universalis, nunquam tuto absque mercurialibus sanatur, 2) difficulter subinde cancer venereus a non venereo dignoscitur. Verum si solo aspectu, aut ex anamnesi aegri nequeas diiudicari an oblatum ulcusculum venereum sit, an vero e. g. *scorbuticum*, aut aliunde natum, iuvabit in casu dubio ulcusculo aliquid mercurii dulcis inspergere: altero enim die ulcusculum reperies insigniter depuratum, si venereae originis fuerit, peius vero atque magis impurum, si aliunde fuerit enatum, 3) pessima methodus est autem cancrum venereum causticis aggredi; inde enim non solum dolores, sed aut verus tandem cancer, aut cancer fungosus.

In cura cancri venerei considera, quis cancri status sit. Nam in statu eius inflammatorio, praesente adhuc gonorrhaea methodus antiphlogistica requiritur: balneum penis, cataplasma, lactis tepidi balneum, cui aliquid mercurii vivi mucilagine gummi arabici subacti fuerit admistum. Mercurius enim curr[illegible] partes inflammatas non laedit, prout t[illegible] laederet qualecunque ferme aliud praeparatum, seu sal mercuriale. Oculus ipse mercurium fert.

Cancros venereos *non inflammatos* balnea quoque mercurialia sanant praeter remedia inter-

terna contra luem radicatam indicata: e. g. balneum ex aqua vel lacte et mercurio sublimato: item unguenti neapolitani, aut alterius unguenti adplicatio, cui mercuriale quoddam praeparatum addideris.

Callos et carnes cancri luxuriantes aut lapide infernali, aut potius mercuriali quodam caustico tollere oportet, et coindicatis remediis uti.

Cancrum *gangraenosum* cohibet aqua vegeto-mineralis camphora vitello ovi subacta. Pulvis ex camphora et alumine crudo, partes aequales.

CONDYLOMATA.

Sunt tubercula variae magnitudinis et figurae aut excrescentiae a viru venereo ortae.

Variam magnitudinem dixi: cum plerumque fabam referant; saepe multo sunt maiora, uti tuber solanum. Vidi tamen minutissimas et copiosissimas pustulas, semen milii magnitudine referentes; praecipue in faucibus, itemque in glande penis, quae certe ad condylomata referri debent.

Figuram variam aeque debent, hinc *ficus*, *cristae*, *thymi*, *mori* ec. dicuntur.

Vix ulla corporis pars est, quae non his tuberculis subinde obsideatur. Sunt in glande penis frequenter; frequentius multo circa anum, ubi medici et chirurgi minus periti marescas et ani condylomata pro haemorrhoidali tuberculo habuerunt, et vice versa. Labia pudendi muliebris plena sunt non raro his excrescentiis. Vidi in abdomine, scroto, circa mammas, saepius vero in faucibus.

Cu-

Curantur vario modo : 1) curatione sola antivenerea, morbi scilicet principalis venerei. Saepe enim sponte evanescunt exhibitis mercurialibus, aut aliis antisipyhliticis, etsi remedia topica nulla adhibeantur.

Lis equidem orta est inter medicos, cum quidam asserant, condylomata nunquam absque externo et topico remedio sanari posse, alii vero contrarium statuant. Verum dirimi hanc controversiam sic puto, si dicas condylomata *recentia*, et luis recentis symptomata curari posse sine auxilio externo, id quod observationibus apud nos collectis potest demonstrari. Quod si vero lues *antiqua* iam sit, *radicata*, multis et variis remediis iam tentata, non sublata, sed solum fortasse modice consopita, remedia simul externa requiruntur. *Altera* ergo methodus adplicat remedium mercuriale, e. g. unguentnm neapolitanum, aquam phagadenicam, aut aliam sublimati solutionem, aut mercurium praecipitatum rubrum butyro aut unguento digestivo mistum, ec. ad ipsa condylomata, eo tempore, ubi simul internis remediis virus venereum oppugnatur. *Tertia* methodus cultro aufert condylomata, quod fieri saepe debet, si haec tubera fuerunt paulo maiora, corneae aut cartilagineae duritiei, aut adinstar pyri pendeant ex pedunculo. *Quarta* methodus caustico vario has excrescentias tollit : e. g. sequentibus : solutione metallorum dicta, lapide infernali, butyro antimonii, saturata solutione mercurii sublimati. Praeferendum est *causticum mercuriale*,

R. Mercurii sublim. corros. dr. j.
Aquae calcis, unc. ij.

M.

M.

Liquor causticus ad condylomata erodenda.

R. Spiritus vini, unc. iij.
Mercur. sublim. corrosiv. dr. j.
M.

In eundem usum.

R. Mellis commun. unc. iij.
Viride aeris, unc. j ß.
Mercur. subl. corros. dr. ij.
M.

R. Unguenti aegyptiaci, unc. ij.
Mercur. subl. corros. dr. ß.
M.

R. Unguenti nicotian. unc. ij.
Alumin. calcinat.
Mercur. praecip. alb. aa. dr. j.
M.

R. Unguenti basilic. unc. iij.
Pulv. sabin.
Mercur. praecip. rubr. aa. dr. ij.
M.

R. Merc. vivi dr. j ß.
Solv. in aquae fortis, dr. vj.
adde
Unguenti nicotian. unc. ij.
M.

Plura componi possunt ex calce viva, alumine usto, sale tartari, addito mercuriali praeparato. Item lapis causticus in pulverem teri potest, unguento excepi, et adplicari.

In escharoticis et causticis applicandis nota 1) partibus nervosis, tendineis, nunquam esse adplicanda ob metum convulsionum; 2) saepe fortiora haec nihilominus esse *inertia*, si nempe

nempe pars erodenda sit cartilagineae et osseae ferme duritiei; hinc tunc emolliri prius pars debet admoto fotu aquae tepidae, aut scarificando incidi; 3) nota, partes adiacentes sanas defendi debere, ne caustico laedantur; hinc emplastro quodam muniri possunt perforato, ut sola pars erodenda promineat; 4) hinc praeferuntur caustica penicillo adplicata, et per modum unguenti exhibita. Praestat in curandis condylomatibus curae externae internam iungere, sed ita, ut non statim ad cultrum, ad erodentia accedas, cum mitioribus non raro mercurialibus topicis auscultent.

LUES UNIVERSALIS.

Lues *universalis*, *radicata* tunc dicitur, si massa humorum iam sit infecta, et venenum iam alias, et dissitas partes petat, immediato contactu siphylitico affectas, sed ad quas ope vasorum et circuli humorum venenum venereum est delatum.

Nullum certum tempus datur, intra quod hoc venenum resorbetur; habet id cum veneno, e. g. rabioso commune; differt autem per hoc a veneno varioloso et morbilloso.

Subinde per annos in urethra haeret, per modum gonorrhaeae inveteratae, vel cancri venerei. Subinde recta et cito petit massam humorum.

Nonnunquam resorbetur, totum proiicitur ad certam quandam corporis partem, reliquo corpore penitus intacto. Sic novi, qui cancrum in glande insperso mercurio fugavit, sed qui illico in faucibus comparuit, indeque depulsus rediit, unde venerat.

Lues radicata nullum symptoma pathognomonicum habet; quin imo non habet eundem semper invadendi modum, non eadem symptomata, neque eundem symptomatum ordinem aut successionem.

Nullus morbus est, qui tot, et tam varia, tam differentia inter se, tam alia aliterque in alio homine accidentia monstret; ac lues, qui duratione, exituque in mortem, sanitatem, et alios morbos tantopere variet, ac lues. Nullus morbus, nullusque ullius morbi symptoma, sub quo non subinde lues delitescat, quem lues non exactissime simulet. Videbimus huius veritatem in narratione symptomatum.

En cur tota antiquitas morbum hunc non cognoverit tanquam unum eundemque: cur gonorrhaeae equidem antiquiores exstent descriptiones; at luis ipsius nulla adaequata; cur varia tandem, et ab se invicem avulsa dederint fragmenta.

Exordium descriptionis faciam symptomatum, quae luem notant, ita tamen, ut nullum sit, quod *omni*, nullum quod *soli* conveniat.

DESCRIPTIO SYMPTOMATUM SIPHYLITICORUM.

I. *Maculae venereae*, rubrae, flavae, ex utroque colore mistae, rotundae, ephelidum instar, subinde maiores, prurientes, modicissime elevatae, ambitu albido, in fronte, facie, antico thorace, inter scapulas, in tibiis, etc. erumpunt. Recens natis eiusmodi maculae circa anum et genitalia visuntur. Anxie saepe petitur auxilium, ut *cito* profligentur. Lac mer-

mercuriale, cum eoque facta ablutio: aqua calcis cum mercurio sublimato corrosivo. Plerumque tamen rebelles sunt, et omnium ultimo valedicere vidi. Sunt saepe luis latentis signa, praecipue si cutis simul scabra sit, cuprea, indurata; aut hinc inde furfures abscedant. Interim cave, ne guttam rosaceam, pustulosam faciem pro siphylitici morbi signo habeas. Vidi has pustulas, item nasum tuberosum, aut saltem praerubrum, quam defigurationis speciem vulgus frequenti crapulae, vinique abusui adscribit, in hominibus arthriticis: ita ut ex tali facie ad labem arthriticam sat tuto conclusionem formes.

II. His maculis *Herpes* saepe iungitur *venereus*; macula est ampla, pruriens, cuprea, papulis et furfuribus obsita, in manubus, thorace, etc. retro aurem semel deprehendi rebellem ad erodentia, vesicantia ipsi herpeti imposita, dein saturnina; curatus est externo usu unguenti neapolitani, et interno mercurii sublimata. Quemadmodum herpes luem latentem frequenter notat, ita minime pro certo signo luis habendus est. Acre arthriticum plerumque herpes notat in aegro delitescere: scilicet acre biliosum ad cutem reiectum.

III. *Scabies venerea* papulas prurientes, crustosas, rubras, sero morsicante plenas habet. In interstitiis maculae venereae repetiuntur, superius descriptae.

IV. *Fissurae* circa anum, vulvam, in plantis pedum, volis manuum; defluvium capillorum, ciliorum, superciliorum. Achores venerei, quales in adultis, infantibus, orphanis praecipue atque expositis saepe observantur;

curari debent medicamentis antisiphyliticis *externis* et *internis*.

V. *Panniculus adiposus* in lue post gonorrhaeam contracta saepe morbosus fit, ea ratione, ut totus quantus induretur. Vidi hominem, qui valde pinguis et obesus videbatur; verum si eundem manubus contrectaveras, carnes omnes quasi fumo duratas deprehenderes; abdomen ipsum *durum* fuit, ita ut sedem duritiei in abdominis pinguedine praeter modum inspissata facile reperires. Nonnunquam non omnis pinguedo est inspissata, sed quaedam solum hinc inde portiones.

Glandulae subcutaneae a viru venereo observantur non raro, ut eas per omnem corporis ferme habitum ciceris aut pisi instar confertim disseminatos offendamus.

Prosunt mercurialia salia cum aperientibus, aconito, guaiaco, stipitibus dulcamarae, sulphure aurato tertii praecipit., cicuta. Infusum gratiolae, ubi drachma una, una cum dimidia infunditur cum libra j *β*. aquae, adiecto aromatico syrupo; aut ubi eius pulveris ex radice pulverisata confectae gr. v-x. accipiuntur: balnea simul.

VI. *Ophtalmia* frequens est venereorum morbus: 1) a viru gonorrhaeico oculos petente, 2) a lue universali. In primo casu valida est, et inflammatoria. Venae sectio, hirudo, balneum cum lacte mercuriali. Absint purgantia. Adhibeantur cataplasmata. Est a metastasi; non tamen iuvat inoculatio gonorrhaeae, neque nova infectio; secunda species ophtalmiae est minus acuta; facile in maculas corneae abit; noctu gravior; alternat cum

an-

angina aut rheumate nocturno. Cave ne ophtalmiam biliosam, itemque rheumaticam confundas cum venerea. Facile confunduntur, et cur? errores ipse feci in diagnosi.

VII. Ophtalmia recens natorum materiam flavam, crassam, puriformem dat; an signum luis? lacte mercuriali abluantur. Curavi hos sequenti ablutione ope syringis facta, cum infuso lacteo florum sambuci, vel et infuso florum sambuci et croci, adiecto lacte. Saepe ingens quantitas, et per plures septimanas effluit. Cave a saturninis et adstringentibus. Vidi inepta hac methodo pusionem excaecatum.

VIII. *Maculae corneae* et eorundem opacitas facillime contrahuntur in lue; curantur tamen, ut omnes hucusque enarratae affectiones, remediis internis et externis simul. Auxilia externa mercurialia ad ipsum locum affectum adplicata maximi momenti sunt. Optimum est, quod paratur ex butyri insulsi rec. unc. j. mercur. praecip. rubri scrup. j., sachar. dr. j. M. in mortario vitreo. Semel, bis per diem ad lenticulae magnitudinem imponitur cantho interno, decumbenti. Quibusdam, quibus glandulae palpebrarum tument, palpebrae leviter perfricantur hoc unguento. Tollit hoc unguentum lippitudines chronicas, ruboresque oculorum, itemque exiguas illas pustulas in limite corneae enatas post variolas, naturales aeque ac artificiales, levissimas aeque ac gravissimas, sero subinde ortas. Tollit ophtalmias rheumaticas, crebras puerorum, etsi non venereas. Subinde pro unc. j. butyri solum accipitur scrup. ß. mercurii praecipitati

 rubri.

rubri. Si gravius doleat, post ¼ horam abluatur lacte tepido.

IX. *Cataracta venerea* curata est pulsatillae extracto, et mercurio dulci: itemque eodem remedio *amaurosis*.

X. *Surditas*, itemque fluxus saniosus ex aure in venereis a nobis est observatus, ab erosis ossibus organi auditorii; ab abscessu ipsius cerebri, cerebelli etc. tophis, diu saepe et per annos abscessus cerebri durant: immedicabile malum.

XI. *Coryza* venerea idem est in naribus, quod in pene gonorrhaeo. Lac mercuriale attractum prodest.

XII. *Ozaena* est ab ulcere venereo narium interno, a carie: solutio mercurii sublimati.

XIII. *Angina venerea*, 1) inflammatoria, 2) ulcerosa, 3) nocturna, 4) condylomatosa, 5) mercurialis. Prima petit venae sectiones, gargarisma ex lacte mercuriali, cataplasma emolliens. Secunda lac mercuriale; solutionem aquosam mercurii sublimati, ubi libra j. aquae ad gr. ij — iij. mercur. sublim. corrosivi. Tertia curam antivenereanı generalem. Quarta solutionem sublimati aquosam pro gargarismate, et cura interna. Quinta seu mercurialis petit purgantia eccoprotica, diuretica, sudorifera, balnea calida.

XIV. *Tophus* est excrescentia seu tumor in ipso plerumque osse ortus a viru venereo; durus, subinde submollis, ac comprimibilis, et tunc dolens ad attactum. Tophi et duri tamen dolorem nocturnum et osteocopum habent. Subinde in ipsa ossis substantia sunt.

Non-

Nonnunquam videntur esse in superficie ossis, ita ut potius pertineant ad periostium; etsi vel mala methodo aperti eiusmodi tumores, seu molliores tophi fundunt mucum.

Tophi in lue plerumque inveterata, raro aut nunquam in recenti dantur.

Tophi item in lue sunt *connata*. Haec duo symptomata, *tophi* et *rheuma venereum* sunt praecipua duo symptomata, quae circa tempus pubertatis sponte prorumpunt, et luem latentem et connatam indicant. Habuimus casus tales.

In cranio tophus saepe est, ibique dolor. Haemicraniae nocturnae locus est circa tophum.

Cave, ne irregularem quandam et connatam, ac a prima conformatione ortam cranii protuberantiam pro topho habeas.

In claviculis, tibiis frequentius sunt; item in sterno nuper vidimus.

A topho interno cranii subinde epilepsia, caecitas, surditas.

Tophis raro sufficit mitior methodus antisiphylitica. Hinc salia mercurialia acriora requiruntur. Item profuit cortex mezerei: Infunditur ad drachmam ß. scrup. ij. in libris ij. aquae, incoctis prius bardana, sarsaparilla.

Nonnunquam tophi sub ipsa cura antisiphylitica primum enascuntur, aut potius evolvuntur. Id fieri dicitur a decocto dulcamarae. Male accusatur mercurius sublimatus, ac si tophos faceret.

Tophos orta febris sub ipsa cura antisiphylitica nonnunquam feliciter resolvit. Febris

quaecunque serius orta, postquam methodus antivenerea diu frustra adhibita fuerat, tophum remanentem feliciter sustulit, remedia topica quoque requiruntur.

XV. *Caries* ossium, item eorundem mollities, fragilitas praeternaturalis, saepe est a viru venereo diutissime insidente. Primum hoc vitium saepe curatur ablatione morbosi: bina reliqua non sanantur.

XVI. *Spina ventosa* duplex est, *venerea* una, qualis saepenumero esse solet, ubi curationi adhuc locus est; *altera* non venerea ferme semper immedicabilis.

XVII. *Scrophulae* aeque duplicis originis sunt: non raro sunt a lue connata; curantur mercuriali sale cum cicutae extracto, resina guaiaci etc. scrophulae vero originis non venereae difficillime, aut omnino non curantur.

XVIII. *Rheuma venereum* universale subinde est: saepe topicum, in uno cranii latere, faucium, tibiarum, urethrae. Alternat cum aliis affectionibus: e. g. cum ulceribus, quibus apertis rheuma cessat, aut mitigatur.

Nocturnum est, attamen subinde meridianum, promeridianum, stato tempore, itemque vagum. Non est a lecti tepore, tamen frigore levatur. Inter omnia symptomata citissime profligatur in lue recenti; paucae doses mercurii dolores faciunt silere brevi post.

XIX. Febris venerea est varia: scilicet: 1) *inflammatoria* in vehementi gonorrhaea, bubone, testiculo inflammato, balsamicis as-

sumptis, item purgantibus. Novi inde phrenitidem. Cura per venae sectionem, hirudines, emollientia nitrosa. Nocent tunc mercurialia, etiam mitissima. Equidem lues tunc raro, aut vix unquam tollitur, attamen morbus acutus inflammatorius mitigatur in chronicum, seu luem: stimulus obtunditur; 2) alia febris est nocturna venerea, comes rheumatis. Solvitur blando sudore. Convenit cum febricula podagricorum. Non tamen est semper nocturna: subinde diurna; 3) intermittens febris venerea, quotidiana, tertiana, quartana. Non loquor de febre intermittente communi, quae etiam in luosos subinde cadit, et cortice sanari potest, sed de illa intermittente, quae mercurialibus aeque bene indiget, ac aliud luis quoddam symptoma. Sic *Ballonius* quartanam refert mercurio sanatam. Non tamen omnis febris intermittens mercurio e. g. dulci curata, aut curabilis, est aut fuit venerea. Nam mercurius vires solventes, purgantes, diaphoreticas etc. item nervinas habet. Celebratae vires sunt mercurii e. g. frictio mercurialis in hepatitide, at perlectis et probe examinatis casibus, fuerunt infarctus biliosi systematis lenti, chronici, non fibriles, aut febre nulla inflammatoria stipati. Uti alia omnis intermittens larvari subinde solet, sic et intermittens venerea. Vidimus colicam periodicam. Cortice haec febris non curatur; 4) febris tabifica, lenta venereorum, a nimia seminis deperditione, a methodo medendi, salivatione etc. Ab ulcere latente, scrophulis mesenterii, pulmonum.

XX.

XX. Morbi *nervosi* venereorum: tetanus, epilepsia, a topho, etc. ab acri latente.

XXI. *Lues latens* difficilem facit diagnosim; 1) potest per annos latere, quin ullum sui signum edat; 2) potest tamen alios inficere. Videtur evolvi sub febre quacunque; 3) remediis alterantibus datis, et mercurialibus; 4) pubertate.

Innumera equidem alia luis symptomata sunt; quae tamen hic recensebantur, sunt potiora. Nullum enim symptoma, nulla ullius symptomatis variatio, quae non aliquando, quin imo saepius lui non debeatur. Totus morbi decursus medicum potius diriget in diagnosi, quam unum alterumque symptoma.

Gradum facimus ad varias medendi methodos et proponendas et examinandas.

METHODUS MEDENDI LUI UNIVERSALI.

Methodum medendi siphyliticis exponere ordior, quam *duplicem* agnoscimus. Prima methodus *mercurio* utitur: *altera* aliis, iisque variis remediis, et saepe arcanis, morbum venereum curare satagit.

Methodus prima, quae mercurium adhibet, diversa pariter est, novamque divisionem subit: nam vel *interne* hydrargyrum propinatur, vel *externe*.

Externe adhibetur per modum unguenti, seu inunctione frictioneque; fumigatione, ubi cinnabaris factitia, vel mercuriale quodcunque praeparatum carbonibus candentibus imponitur, ut fumus mercurialis partes affectas contingat, ab iisque suscipiatur.

Balneo

Balneo mercuriali, ubi mercurius aquoso vehiculo mistus adplicatur per modum balnei. Balnea haec sunt topica, ubi pars quaedam corporis, penis, scrotum, oculus etc. mercuriali balneo immergitur, vel sunt universalia, aut saltem semicupia, ubi aeger solutioni aquosae mercuriali insidet. De modo formisque variis, et indicationibus balneorum merculiarium paulo post plura occurrent. Huc quoque lotiones mercuriales pertinent, ubi partes quaedam corporis aqua quadam mercuriali lavantur.

Interne adhibetur, dum aut ore assumitur deglutitus mercurius *varius*, et sub varia forma; aut etiam per modum enematis injicitur: hinc enemata mercurialia.

Subinde et *externe* simul et *interne* adhibetur: estque haec methodus *mixta*. Mixtam quoque appellare illam possumus, ubi praeter marcurialia alia quoque antisiphylitica adhibentur.

Alia quoque methodus est per *extinctionem* dicta, quae usque ad initium salivationis mercurii propinat: et ad alia est methodus *salivatoria*, olim usitata, ubi ad largum et cruentum usque phtyalismum mercurialia propinantur.

Hi fere modi sunt, quibus administrari mercurius solet. Singulas methodos curatius persequar, ut nempe sciamus, quid commodi, quid incommodi, quid boni malique quaelibet methodus habeat, ne semper et ubique unam solum eandemque depraedicemus, et omnes siphyliticos eidem semper curationi subiiciamus, ubi tamen oporteret differentibus modis uti.

Pri-

Primo loco commemoranda unctio venit, seu *frictio*. Modus frictionis hic est.

Aeger *praeparatus* vesperi cubitum concedens, fricando, manu calefacta, unguenti postmodum describendi drachmam j ß. aut ij. sibi inungat.

Frictio lente et cum labore peragatur, et ex praescripta dosi particula decerpatur, neque simul et semel affricetur.

Calente ad prunas manu unguentum excipiat.

Commodissimum tempus est ante somnum pro inunctione. Noctu saepe blandus sudor post eum laborem insequitur, susceptum mercurium iterum ad superficiem corporis derivans, et a glandulis salivalibus avertens.

Melius peragitur omni alterno die: alias enim cito insequentes inunctiones saepe molestum phtyalismum excitant.

Aeger dosin, e. g. dr. j ß. charta cerata exceptam ita adhibet, ut primo die pedem et tibiam sinistram ad genu usque laboriose fricet. Tibiam illam post frictionem munit tibialibus lineis, ut ne lectisternia, aliasque vestes commaculet, et ut unguentum, tibia ita contecta, pedetentim resorbeatur.

Mane surgens e lecto in balneum calidum descendit, cui ubi per quadrantem horam aut integram insederit, denuo in lectum se recipit, per horam adhucdum aliam ibidem commoraturus.

Eo autem die, quo balneo utitur, frictionem non adhibet.

Ple-

Plerumque sex, octo, aut etiam plura balnea diebus a frictione liberis adhibentur.

Tertio die altera frictio instituitur in toto pede et tibia dextra ad usque genu. Quarto balneum mane.

Quinto die frictio in toto femore sinistro vesperi. Sexto die mane balneum tepidum.

Septimo die frictio in femore dextro per totum. Octavo balneum.

Nono die iterum eodem ordine frictio peragitur in pede et tibia, seu crure sinistro, dein in dextro crure, dein iterum in femore sinistro, iterumque in dextro perficitur.

Balnea non toto curationis tempore adhibentur, sed omni altero die, per sex aut octo vices.

Per tres quatuorve dies eadem tibilia diu noctuque servantur; dein prioribus abiectis alia assumuntur.

Tota curatio peragitur plerumque intra sex septimanas. Adhibentur unciae duae mercurii currentis; seu libra dimidia ipsius unguenti neapolitani, quod tamen ex *una* mercurii, et *duabus* axungiae recentis porcinae confectum esse debet, longa trituratione (per tres dies) in mortario ligneo; therebinthina non adiecta, quae pustulas excitat, calefacit, diuresin movet. Accipiatur mercurius a plumbo penitus liber; nocet plumbum copiosius litu adplicatum.

Omni equidem anni tempore peragi potest inunctio, melius tamen vere adulto, et aestate; iis enim temporibus homines minus sunt proclives in phtyalismos: per hyemen in cubiculo calido.

Cau-

Cautelae in inunctione hae sunt: 1. Frigori aeger non exponatur; hinc melius aestate peragitur quam hyeme; nisi in calido cubiculo id fiat. Gravissima mala a perfrigeratione oriuntur, e. g. anginae terribiles, tetanus maxillae, dysenteriodes alvi fluxus, aut metastases variae.

2. Tamdiu mercurius relinquatur in corpore, quamdiu id fieri potest: cito enim evacuatus quacunque via, minus securam facit curationem. Sudores nimii, purgationes alvinae nimiae, et praeprimis phtyalismus nocet. Nam mercurius cito eliminatur, non ubique occurrit veneno venereo, cum eo non sufficienter amalgamatur, hinc opus est, ut mercurius diu haereat intra corpus, ut sic subactus ope circulationis miasma siphyliticum iners reddat. Videtur id cum mercurio fieri intra corpus vivum, quod cum eodem contingit, si cum sulphure misceatur. Tritus enim mercurius cum sulphure aethiopem facit; attamen cum non intime uniatur mercurius cum sulphure, hoc remedium aget, et qua sulphur adhuc, et qua mercurius. Si vero diu et validiori igne mercurius cum sulphure uniatur, cinnabaris e. g. inde oritur, ubi vires suas sialagogas mercurius amittit. Idem cum mercurio et miasmate siphylitico accidere videtur. Si enim cito nimis eliminetur ex corpore mercurius, vix se uniet, aut solum cum quadam miasmatis parte; at vero diu haerens mercurius in corpore, intimius se iunget, intimius amalgamabitur (ut barbaro hoc vocabulo utar) cum luoso miasmate. Haec et una est ex rationibus, cur phtyalismus mercurialis, seu curatio per sali-

va-

vationem raro radicitus morbum evellat. Sufficiet aegrum purgare, purgante non mercuriali, omni octiduo, ut sic vis mercurii avertatur a glandulis salivalibus.

3. Usque *ad leve initium futurae* salivationis licebit inunctionem producere: usque dum incipiat habitum foetentem aeger spargere, utut id tamen non sit necesse. Ratio est: subinde contingit, ut magna mercurii pars intra corpus inungendo adigatur, et aeger nec minimum sentiat incommodi; nec minimum, nec remotum salivationis instantis initium. Equidem id fit subinde ab idiosyncrasia peculiari ipsius aegri. Nihilominus mercurius occurrit luoso miasmati, cumque eo iungitur, atque id iners reddit, et morbum sanat. Subinde tamen mercurius equidem ingeritur intra corpus, nullum phtyalismi conamen unquam observatur, nec levissimum: idque non ob idiosyncrasiam dictam, sed quia mercurius ingestus, tanquam corpus alienum *iners* haeret, et luosum miasma non attingit, cum eoque non iungitur. Evenit tunc autem, ut magna licet inuncta mercurii portio veluti intra cadaver quoddam ingestus ibidem maneat, et neque phtyalismum excitet, neque miasmati iungatur. Conamina leviora phtyalismi sunt idcirco solummodo signum criticum, quo utimur, ut sciamus, an mercurius cum nostris humoribus *commistus* sit, et ope circuli per corpus circumducatur, vel vero, an *iners* haereat, *delitescens* forte in pinguedine, in ossibus etc. et cum humoribus non commistus. Solummodo et *commistus*, et per corpus *circumductus* luem sanat.

Sub-

Subinde quoque mercurius copiose nihilominus ingestus *iners* haeret in corpore, neque phtyalismum movere conatur, nec luem aggreditur. At vero, ubi non opinabaris, *repente*, fortassis et tunc, ubi ab usu mercurii dudum destitueras, symptomata gravissima salivationis oriuntur. Videtur tunc mercurius repente solvi, amalgamari suscipique intra humores circulantes, et vim suam sialagogam et antisiphyliticam tunc primum exercere. Indagatum est in causas huius inertiae, cur videlicet mercurius virium suarum antisiphyliticarum pentius videatur nonnunquam oblivisci. Saepius sola debilitas aegri et vitalium virium defectus accusari debet. Hinc remedia tonica, corporis motus, nutritio restaurans et parumper vinosa diaeta, electricitas, subinde superveniens acuta febris, mercurium activum reddiderunt.

Novimus, et inferius exponetur uberius, remedia quaedam vegetabilia ab omni tempore commendata esse, tanquam specifica antisiphylitica, tanquam mercurio potentiora. Dubito an hucusque tale inventum sit, neque cuiquam suaderem, ut vegetabili solum remedio in lue radicata contentus sit. Sed tamen verum est, remedia quaedam vegetabilia lues quasdam inveteratas, mercurio saepius et incassum antea tentatas, sanasse.

Videntur mihi eiusmodi remedia vegetabilia eam solum vim habere, ut mercurium aut illitum, aut ore assumptum, sed cum humoribus nostris non mistum, *miscibilem* reddant. Qui ea remedia commendant, hos sibi casus, ubi mercurialia nempe incassum

sum fuerunt adplicata, sibi semper deposcunt.

4. *Imminente phtyalismo* aut per aliquot dies desistendum a lotu, aut purgandum, balneandum.

5. *Imminente febre* a litu et balneo desistendum. Febris subinde subinflammatoria oritur, venae sectione, et aliis antiphlogisticis temperanda.

6. Cura *morborum complicatorum* subinde. Febres omnes litum et balnea non admittunt, excepta febre venerea, pomeridiana, nocturnave.

7. Praeparandum corpus est ad litum, 1) amovendo alios morbos, et 2) corpus perspirabile molleque reddendo aliquot balneis, 3) abstergendo primas vias levi purgante.

Post litum mercurialem sequentia observantur: 1) facies plenior et vultuosa, maior enim humorum ad totum corpus affluxus, et nutritio; 2) debilitas, cortice, lacte, rusticatione, aquis ferratis sananda; 3) tremor artuum, electrico igne curandus: oritur a restitante mercurio, maxime tamen a *fumo mercuriali*. Videtur autem mercurius sensim sine sensu dilabi ex corpore humano, et unitum sibi virus siphyliticum auferre; 4) dolores rheumatici, vagi, non venerei, sed *saturnini*, a mercurio nempe per plumbum vitiato. Haec enim vis est saturninorum.

Quod si nimia sit corporis attenuatio, debilitas, phtysica conditio, atrophia, tabes, aetas infantilis et morbida simul, proderit tunc lac caprae unguento mercuriali quotidie inunctae. Solent femora caprae per ampliorem

 tra-

tractum pilis denudari et inungi manu aut nuda, aut vesica suilla munita. Eodem modo lac asininum medicatum redditur.

Non observavi phtyalismum in capra ortum. Explorari mereretur, quid mercurius faciat, valeatque in corpora maiorum et perfectiorum animalium, canes, boves, oves, equos etc. quid itidem in alia ab his diversissima animalia, quid in variis animalium morbis, ovium, equorum, boumque praeprimis, potissimum cutaneis; itemque in contagiosis.

Debilissimis, quibus nec haec quidem methodus sat tuta videtur, proderit commoratio in cubiculo, ubi plures aegri sunt, qui inunctione mercuriali utuntur. Solent enim adiuti simul aliis remediis refici ab atmosphaera mercuriali, donec et ipsi curam mercurialem valeant subire.

Gravidae parcius balneandae, cautius inungendae, rarius et mitius purgandae.

Infantibus aut inunctio proportionata bene instituitur, aut lac sugunt nutricis inunctae. Si enim aut nutrix infantem, aut infans nutricem morbo contaminavit, proderit nutricem ipsam litu sanare. Si lac medicatum redditur, et infans aeque sanatur. Capra mercurio inuncta lac medicatum venereis infantibus praebet.

Nulla alia methodo tantum mercurii introducitur in corpus, ac *litu*.

Curam integram appellant, ubi circiter libra dimidia inungitur intra sex ferme septimanas. Curationis dimidiam, tertiam aut quartam illius partem nominant, ubi praedictae

quan-

quantitatis dimidia, aut tertia, aut quarta solum pars inungitur.

In morbo unversali, et lue radicata confirmataque, cura integra facienda; vel si unguenti dimidiam tantum partem inungere volueris, erunt remedia interna mercurialia in auxilium vocanda.

In lue topica, cancro venereo sufficiet dimidiam aut tertiam curationis partem perficere. Post gonorrhaeam simplicem, praecipue graviorem, diuturnioremque praestaret tertiam aut quartam unguenti mercurialis partem dicta ratione inungere, cum, etsi millenae gonorrhaeae sanentur absque mercuriali remedio, quin lues radicata unquam sequatur, tamen cum unquam certus sis, an non sub ipsa gonorrhaea portio virulentae materiae fuerit absorpta, proderit tamen paucas quasdam inunctiones, gonorrhaeae stadio inflammatorio finito, instituere.

Adhibetur litus mercurialis 1) in lue cutanea, seu cutem, membranam adiposam occupante; 2) in lue homines irritabiliores afficiente, quive praeparatis mercurialibus offenduntur, aut faciles sunt in diarrhaeam, phtyalismum; 3) in lue etiam antiqua, ubi aliae methodi, aliaque praeparata mercurialia acriora non profuerant. Inunctio iuvit, ubi alia non iuvere: sed et viceversa contrarium saepe est observatum; 4) in lue infantum, puerorum, cetera bene valentium; rarum enim et perspirabile corpus litum facillime admittit; 5) in lue foeminarum mollium praestat inunctio.

Non convenit, ubi febris ab ipsa frictione, motuque exercitato metuenda est, et ubi balnea non admitti possunt ob alias conditiones: hinc debilissimis, in febrim proclivibus, ad abortum, ad haemoptoën, phtysinque pronis non convenit. In plethoricis, biliosis, strictisque cum cautela, et vitio complicato prius amoto.

Inunctio quoque facienda est in lue non solum radicata aut universali, sed etiam in topica. Hinc in cancro venereo, ubi nunquam fidendum est, et ubi lues aliquando radicata iure metuitur. Si cancer absque mercurialium usu disparuerit, curae dimidium est instituendum. Fit tunc inunctio eodem modo, ac antea est enarratum, eo solum cum discrimine, ut dimidiam quantitatem unguenti adhibeas, sic unc. iij. eiusdem unguenti consumentur, aut saltem ij.

Post gonorrhaeas praestaret semper femoribus uncias duas inungere, dico post gonorrhaeas.

In bubonibus, itemque testiculis venereis non inflammatis, inunctio et in loco affecto ipsomet, et in femoribus facienda, et dimidia aut saltem tertia pars unguenti est inungenda.

Obiectiones contra litum quasdam afferunt aliarum methodorum patroni; scilicet aiunt: 1) incertam esse inuncti mercurii quantitatem; 2) mercurium denuo in globulos colligi, deponique, inde tremores, convulsionesque etc.; 3) incommoditas curae; 4) eius diuturnitas.

At neque in aliis methodis exacte determinari potest quantitas resorpti mercurii; non enim omnis mercurius ingestus etiam resorbetur. Ad secundum, id non fit, si unguentum bene et diuturna trituratione paretur, et lente et parce infricetur. Ad tertium, frictio ipsa tam incommoda non est, cum ab ipso aegro, et ante cubitum fieri debet. Interim verum est, ob incommoditatem, aut etiam ob anni tempus non semper posse adhiberi. Ad quartum, non est magis diuturna curatio, quam per alia remedia.

Considerabimus aliam methodum mercurium externe adhibendi. *Balneum mercuriale* paratur ex aquae dulcis ea quantitate, quae pro semicupio sufficit, et ex uncia dimidia mercurii sublimati corrosivi. Indicatur in scabie venerea, et lue cutanea rebelli. Subinde solum lotiones mercuriales adhibentur, ubi scilicet drachma una mercurii sublimati corrosivi solvitur in libra una aquae. Solent omni alterno die aut brachium utrumque lavare, aut thoracem, aut utrumque femur. Sunt, qui in quavis luis conditione hac lotione mercuriali utuntur, quemadmodum alii frictione. Lues cutanea rebellis, maxime topica, herpetes, scabies, ulcerosa conditio a viru siphylitico haec poscunt.

Parari balnea mercurialia, itemque lotiones possunt ex *lacte mercuriali*, in lue infantum cutanea, ubi minus tuto adhibentur solutiones ex mercurio sublimato.

Huc quoque pertinent clysteres mercuriales, ubi aut lac mercuriale, aut mercurius gummosus cum decocto seminis lini per mo-

dum enematis iniicitur. Prodest in affectibus venereis ani, intestini recti, pudendorum; etsi aliqui luem quoque universalem sanarunt hoc modo.

Est alia quoque methodus, quae nempe mercurium vivum quacunque ratione subactum propinat. Inde et mixtura *Plenkiana*, et pilulae *Plenkianae* habentur paratae sequenti modo:

R. Merc. depuratiss. dr. j.
Gumm. arab. dr. ij.
Tere diu invicem in mortar. vitreo cum pauxillo aquae fumariae: inter terendum adde:
Aquae fumar. unc. viij.
Syr. kermes, unc. ß.
M.
Mane et vesperi cochleare maius.

Quaeritur quid commodi haec methodus habeat? Respondeo: mercurius vivus non est causticus, adeo mitis est, ut vivum vulnus inde non laedatur. Fertur a debilissimis, emaciatissimis, gravidis, infantibus.

Incommoda autem huius methodi sunt: 1) quod malum magis inveteratum vix tollat; 2) quod sint, quibus mercurius alvo exit cum faecibus; 3) in morbis venereis cutaneis, item in carie venerea mercurius mucilagine subactus, plerumque inefficax est; 4) inefficax quoque est, ubi miasma venereum ad glandulas se recipit, ibique figitur; 5) contra tophos parum valet.

Praeparata mercurialia a multis praescribuntur. Quaedam inertia habentur, uti cinnabaris. Quaeritur quid boni accedat mercurio per artem chemicam. Respondeo: videtur

mer-

mercurius reclusus per artem chemicam, cum humoribus nostris facilius misceri, et cum veneno venereo citius et melius amalgamari. Item arbitrantur, quod salia haec mercurialia alias quoque virtutes habeant, praeter illam mercurio soli insitam; scilicet stimulus ille salinus adiunctus solvit, resolvit, movet, alterat.

Magni usus mercurius dulcis, panacea mercurii, sive aquila alba, cuius unum, aut duo grana mane itemque vesperi in forma pilulari solent propinari, assumpto conveniente decocto.

Sunt qui mercurium sublimatum aliis mercurii praeparatis praeferunt, quod aquosis humoribus perfecte misceatur, et quod in exigua quantitate sit par domandae lui. Scrupulus unus, aut drachma dimidia sublimati corrosivi intra sex septimanas luem sanat. Datur in vehiculo aquoso, mucilaginoso, ut cremore hordei, emulso crasso, chocolada, syrupo, roob. Item datur in vehiculo spirituoso, in spiritu frumenti, in tinctura conveniente, cum essentia e. g. lignorum, cum tinctura gummi guaiaci. Datur etiam in pilulis cum coindicatis, vel vero parantur pilulae sic dictae *Hoffmanianae*.

Notus mercurii ublimati usus fuerat Germanis, uti *Frickius* memorat. Utuntur eodem Tartari, referente *Gmelino*, a tempore immemorabili.

Swietenius sequenti eum modo exhibuit.

R. Merc. sublim. corrosiv, gr. xxjv.
Spirit. frument. libr. jv.

Digere, subinde agitando, donec mercurius solutus dispareat.

D. in lagena vitrea. Sumat mane et vesperi drachmam dimidiam, seu cochlear maius in vasculo coffeano decocti hordei, cum quarta parte lactis, vel decocti lignorum, graminis, lapathi acuti, bardanae etc.

Quotidie aliquot librae decocti sunt superbibendae. Omni quarto die lene purgans.

Externe quoque adhibetur idem spiritus mercurialis: ulcera venerea, nulla alia ratione cicatrisanda, deligantur filamentis spiritu hoc mercuriali imbutis.

Efflorescentiae cutaneae, faciem deturpantes, subinde sat cito profligantur, si aquae misceas aliquid huius spiritus mercurialis. Utut etiam eiusmodi maculas summopere viderim, licet hoc spiritu litas, rebelles.

Suboriens salivatio praepeditur aut dato leni per vices purgante, aut sudoribus mediante balneo motis.

Quaeritur, quaenam huius methodi incommoda sint, et vice versa, quid ex alia parte prae reliquis boni habeat?

Respondetur: 1) hypochondriacis, hystericis, gravidis, infantibus non convenit; 2) male inde habent plethorici, biliosi, strictique, cum febrim excitet; 3) qui sputo sanguinis, phthysi laborant, qui delicato ventriculo sunt, graviter mercurialem hunc spiritum ferunt; frequenter cardialgias atroces, et diram cephalalgiam producit; 3) parum ipsius mercurii, et forte minus, quam pro lue eradicanda

da requiritur, intra corpora ingeri ob eius causticitatem potest; 4) ipsum vehiculum, quo diluitur, spiritus nempe frumenti, multis aut noxium est, si per menses adhibeatur, aut valde nauseosus; 5) integris nationibus, praecipue calidioris climatis, noxius deprehenditur, ibi phtysin inducit, et atrophiam.

Respondendum ad haec: 1) omnes hae obiectiones id solum probant, mercurium corrosivum non posse pro remedio antisiphylitico universali habere; 2) multa incommoda huius methodi aut tolli, aut saltem minui posse, uti paulo post videbimus.

Quaeritur, quid tamen boni in hac methodo sit, ubinam praeeligenda? Respondeo: 1) consuetis inunctionis molestiis caret, cum aeger hominum consortio frui possit; 2) inveterata lues, quae glandulis atque ossibus insidet, tophi, exostoses, caries, alia ratione persaepe non curantur: soli mercurio sublimato auscultant perfecte; 3) rarius salivationem movet; 4) in diversis vehiculis propinari potest, si cui spiritus frumenti non arrideat:

R. Merc. sublim. corrosiv. gr. iij.
Roob sambuc. unc. iij.
Aquae cinnamom. dr. j.
M.
Ter de die cochl. coffe.

Nec difficile est chocoladam facere antivenereram ex chocolada et mercurio sublimato corrosivo.

Methodus haec, quae mercurio interne utitur, praeter mercurium gummosum, et praeter sublimatum, mercurium diversa quoque ra-

ratione subactum propinat. Sic cum aqua coctus, cum terra absorbente, nempe lapidibus cancrorum tritus, seu mercurius alcalisatus, cum sacharo, manna, melle, conserva rosarum, balsamis, resinis, butyro cacao, butyro simplici, sulphure, scilicet aethiope minerali, cum antimonio.

Item dantur praeparata mercurii chemica alia praeter sublimatum. Sic habetur mercurius cremori tartari iunctus *Domini Bressavin*: item cum nitro, cum sale ammoniaco.

Communior methodus propinat mercurium dulcem, panaceam mercurialem solam, aut cum coindicatis.

Mixta methodus plerumque optima est, illa nempe, quae plures modos coniungit. Sic saepe 1) frictio et fumigatio locorum ulceratorum, quae bene inungi non possunt, 2) frictio et mercurius sublimatus, 3) sudorifera et frictio, 4) enemata mercurialia et frictio, 5) in non irritabilibus, mercurio inerte manente, ob debilitatem, tonica, electricitas, nutrientia, motus, 6) sudorifera et sublimatus, 7) balnea mercurialia et panacea.

Si vetus miasma, intime irretitum, haereditarium, diversas et nobiliores partes occupans, diversis praeparatis, et diversis coindicatis erit opus.

Difficillima autem tunc cura est, maxime in lue connata, miasmate copioso, nobilioribus visceribus laesis, morbo saepius palliato, contagio repetito, scorbuto praesente, praesente ingenti in phtyaliasmum proclivitate.

Nota

Nota 1) camphoram non impedire phtyalismum, 2) eum melius impediri:

1. Leniori per vices purgante.

2. Assumptione mercurii non tumultuaria.

3. Sudorifero potu aut balneo.

4. Difficilius et tardius curantur, qui in phtyalismum proni sunt, aut ob assumptum iam mercurium, aut ob diosyncrosiam, aut diathesin scorbuticam.

5. Frequenter contingere, ut certa quaedam methodus luem mitiget quidem, sed non curet integre; mutari tunc methodus debet; et mercurius, qui sub hac forma luem ex toto non sanavit, eam saepe sanat sub alia, et cum aliis coindicatis.

6. Nota, quod mercurius in longe pluribus morbis salubres effectus edat, et subinde unicum miseriarum levamen sit, etsi nulla subsit luis suspicio.

Plurima ab omni aevo, ex quo lues innotuit, tentata remedia sunt praeter mercurium. Sic omnis generis evacuantia adhibita fuere, ut virus pellatur. Hinc emetica, saepius purgantia, multo frequentius sudorifera, sudoresque calidis cubiculis, lecto, vaporibus accensi spiritus vini proliciti.

Putarunt virus esse, et omne virus per sudores, per alexipharmaca posse et debere expelli.

Praeter haec innumerae plantae, tanquam sanguinem depurantes adhibitae fuere. Nolo his recensendis immorari, quos fere omnes maxima cum industria collegit cl. *Boëhm* in dissertatione Argentorati habita die 27. Maii

1772.

1772. *de varia siphylitidis cura*. Alii in antacidis, in absorbentibus, alcalinis vim antisiphyliticam quaesivere, cum acidam statuerent naturam veneni siphylitici.

Recensebo potiora auxilia, celebratioraque. Sic

1. *Arctii lappae* radicem commendant plurimi, inter quos illustrissimus *Staerkius*, *Locher* ec.

2. *Conium maculatum* morbos venereos felicissime superasse, testantur illustr. *Staerkius*, tum *Quarin* (Vide eius tentamen de cicuta. Vindobonae 1761.), *Locher*, itemque *Rosenstein*.

3. *Dulcamara*. Cl. *Bossier* fere omnibus praefert.

4. *Lignum Guaiacum*, sanctum, Indum: *Ulricus Hutten, eques germanus, de guaiaci medicina et morbo gallico*: Moguntiae anno 1519. celeberrimum. Ad annum 1508. inter Hispanos iam fuerat in usu. Vario modo hoc ligno utebantur. Vulgatissima ratio fuerat, ut saturatissimum decoctum inde longa coctione pararetur. Adhibuerunt simul et diaetam tenuissimam, et regimen sudoriferum. Quidam eius *extractum aquosum*, odoratissimum, et plurimo sale essentiali dives praescripserunt. Alii eiusdem *resinam*.

5. *Radix Chinae nodosae* celebrata quoque fuerat, estque adhucdum. In decocto datur solum, vel cum coindicatis.

6. *Sarsaparilla* circa annum 1530. in Europam introducta fuit, et specificum antisiphyliticum in ea radice quaerebatur. Forma decocti, extracti, pulveris quoque. Eandem radicem

dicem cum antimonio, et nucum puteaminibus *Borellus* dedit, decocti forma. Allegat *Morgagnius*, laudatque decoctum ex sarsaparilla, visco quercino, antimonio crudo, et lapide pumicis paratum; adhibitum quoque largiter a *Valsalva*.

7. Versus finem saeculi 16. *Wierus* lignum *Sassafras* primus commendavit. Decoctum, extractum, syrupus inde parabantur.

At quo magis medici usum hydrargyri didicere, eo magis eiusmodi remedia mere vegetabilia eviluerunt. Sanant 1) luis levissimos gradus, et an hos certo? 2) lues mercurio iam praevie dato; 3) tanquam adiuvans adhibentur sub usu mercurii.

8. *Lobelia siphylitica*, utut specificum antivenereum in ea repertum fuisse arbitrarentur initio, tamen nunc constat, neque huic remedio solum tantum morbum committi.

Videamus nunc coronidis loco formulas quasdam remediornm antisiphyliticorum, quibus aut uti ipsimet, aut plures efformare his similes possumus.

FORMULAE.

1.

Unguentum mercuriale.

R. Merc. vivi e cinnab. rediviv. unc. ij.
Axung. porcin. recent. unc. jv.
M.
Terendo in mortario ligneo, pistillo ligneo per 72. horas:

Nisi diu teratur, colorem fuscum non adquirit; ex solo colore non iudicabis, an requisita mercurii quantitas adsit, nec ne.

Te-

Therebinthinae *parum* quidam addunt : *multum* non addatur; calorem enim, et pruritum et pustulas tale unguentum facit. *Parum* tamen therebinthinae melius subigit mercurium, eumque in axungia suspensum tenet. Therebinthina illita odorem urinae, uti violarum conciliat; penetrat ergo valde. Hinc si cutis ferat, non tam inepte additur unguento neapolitano.

In variis dispensatoriis varia est proportio mercurii ad axungiam in compositione unguenii neapolitani. Placet haec nostra.

Mixtura *Plenkiana* superius descripta est. Dantur ab eodem auctore pilulae quoque. En quoddam exemplar:

2.

R. Merc. vivi e cinnab. rediviv. dr. j.
Gummi arab. dr. ij.
Terantur invicem in mortario vitreo cum pauxillo aquae, donec omnia abeant in mucum: dein adde
Extract. cicut. dr. j ß.
— — aconit. dr. ß.
Pulv. liquirit. q. s. ut fiat pasta pro formandis pilulis.

Syrupus mercurialis pro infantibus, delicatulis ec.

3.

R. Mercur. vivi, dr. ß.
Gummi arab. dr. j ß.
M.
Terendo in mortario vitreo, cum pauca aqua melissae, donec omnia in mucum abeant;
dein adde

Sy-

Syrup. violar. unc. iij.

M.

D. mane et vesperi cochleare coffeanum.

Sic clyster ex mercurio vivo, mucilagine et lacte parari potest.

4.

R. Mercur. vivi e cinnab. rediv. dr. j.
Extract. aquos. ligni guai.
Resin. guaiac. aa. dr. ij.
Mucilag. gumm. arab. q. s.

M.

In mortario vitreo, et fiant pilulae gr. iij.
bis de die iij. — iv.

5.

R. Mercur. vivi e cinnab. rediviv. dr. j.
Balsami peruv. q. s. ut subigatur.
Resin. guaiac.
Extract. gratiol. aa. dr. jß.

M.

Fl. pil. gr. ij.

6.

R. Mercur. vivi e cinnab. dr. j.
Antimon. crud. alcholis, dr. ij.
Longa trituratione in mortario vitreo subactis

adde

Extract. aconit. dr. ß.
Extract. gratiol. dr. jß.

M.

F. pil. gr. ij. mane et vesperi iij—jv.

7.

R. Aethiop. miner. sine igne parati. gr. vj — x.

Sa-

Sachar. alb. gr. xx.

M.

F. pulv. Nro. x. mane et vesperi unum superbibendo indicatum decoctum.

8.

R. Aethiop. mineral sine igne parati, dr. j.
Extract. cicut. unc. ij.
— — fumar. unc. iij.

M.

F. pil. gr. iij. ter de die ij—iij—jv.

9.

R. Mercur. dulc. dr. j.
Extract. aconit. dr. ß.
Resin. guaiaci, unc. iij.
Essent. lign. q. s.

M.

F. pil. gr. iij. bis de die 2, 3, 4.

10.

R. Aquil. alb.
Extract. aconit. aa. dr. j.
Syrup. menth. q. s.

M.

F. pil. 120. mane et vesperi duas sumat.

11.

R. Mercur. sublim. corrosiv. gr. iij.
Tinctur. gumm. guaiac. cum Taffia parat. lb. ß.

M.

Mane et vesperi cochleare maius in pauco cremore hordei, vel emulsi, vel chocoladae, superbibendo decoctum.

12.

R. Mercur. sublim. corrosiv. gr. iij.

Ex-

Extract. aconit. dr. j.
Roob. sambuc. unc. iij.
M.
In mortario vitreo.
Mane et vesperi cochleare coffeanum, cum deçocto.

13.

R. Mercur. sublim. corrosiv. gr. vj.
Spiritus frumenti, lb. j.
M.
Mane et vesperi cochleare maius, superbibendo decoctum.

14.

R. Mercur. sublim. corrosiv. dr. j.
Solve in s. q. aquae destillatae, dein
R. micae panis alb. unc. x.
Instilla solutionem hanc mercurii aquosam micae panis, et fiat massa pilularis, formentur inde pilulae Nro. 600.

Ducentae sufficiunt curandae lui: mane et vesperi una, dein duae sumuntur.

Fiunt tractu temporis indissolubiles. Hinc drachma una alteraque sachari additur. Item macerantur ante sumptionem in pauculo decocto, et una cum eodem sumuntur.

15.

R. Mercur. sublim. corrosiv. gr. iij.
Sal. ammon. gr. x.
Terantur in mortario vitreo, sensim affundendo.
Aquae melissae, unc. ij.
M.

MONITA ET PRAECEPTA.

1. Recens nati et adhuc lactentes facilius curantur, quam ablactati, inunctione matris vel nutricis. Cura matris et pusionis post 14. dies inchoari potest, praestat tamen, ni morbus urgeat, expectare.

2. Morbus venereus connatus gravior, quam acquisitus. Pauci evadunt; aut per omnem vitam multantur scrophulis, arthritide, spina ventosa, rachitide siphylitica.

3. Saepius palliatur morbus, non curatur usu decoctorum, aut methodo mercuriali non protracta ad plenam usque extinctionem miasmatis; etsi difficile sit terminum statuere, quousque produci curatio debeat. Morbus ergo saepius iterum redit. Saepe larvatus.

4. Frequens recidiva morbum reddit vix curabilem.

5. Frequens curatio per hydrargyrum tandem nil amplius valet, aut ob phtyalismum mox supervenientem, aut quod remedio adsueverint. Fit id cum omnibus remediis.

6. Si scorbutus una adsit, mercurialia nocent. Curari prius scorbutus debet. Aut mercurialia paucissima danda sunt ad mali solum lenimen. Curandus scorbutus, et post hunc lues.

7. Hypochondriaci ex lue semel curati, postmodum semper anxii sunt, an omne miasma deletum sit.

8. Reliquiae luis superveniente acuta febre aut cum febre profligantur, aut pereunt aegri.

9. Qui ulceribus cutaneis afficiuntur, plerumque a dolore osteocopo liberi sunt. Hinc do-

dolore tunc praesente, praestat vesicante admoto locum vicinum exulcerare e. g. suras.

10. Gonorrhaea oculorum in recens natis non infrequens. Ablutio cum lacte sambucinato et lenes alvi ductiones iuvant, etiam sine mercurialibus. Nocent alia collyria quaecunque.

11. Negatur equidem gonorrhaea vera infantum, puerorum ec. Attamen illam vere veneream bis vidi. Differt solum, quod vix adsit inflammatio, at copiosus et acer fluxus per pudenda.

VI.

CONVULSIO.

Convulsionem et spasmum multi confundunt, etsi utraque haec affectio reversa diversum quid habeat, non quidem quoad causam, quam fortasse communem habent, sed quoad signa et externama pparentiam. De spasmo definiendo, dividendoque exordium faciemus.

Spasmus est continua et involuntaria musculi contractio et rigiditas. *Celsus* spasmum latine reddit *nervorum distentio*: aptius mea opinione *musculorum* contractionem appellasset.

Dividitur primo in Τεταvον (rigor nervorum), violentissima spasmi species, in qua omnes fere musculi infra caput positi riges-

 cunt,

cunt, contractique diutius persistunt, corpore immobili et in rectum porrecto. Quod si cervix totumque corpus antrorsum curvetur, erit *emprostothonos*; cervix vero et dorsum retrorsum incurvatum exhibebit *opisthotonon*. Memorant etiam corporis in latus alterutrum incurvationem, quam *pleurothotonum* dicunt.

Cum subiectum spasmi quaecunque corporis humani pars sit, quae fibris muscularibus, nervisque gaudet, patet tot fieri divisiones posse, quot partes musculis et nervis praeditae in corpore humano reperiuntur. Verum inutilis haec divisio esset; et paucarum solummodo partium spasmi, eo quod ceteris frequentiores, aut evidentiores sint, peculiariter notantur. Hinc ulterior divisio est in spasmum maxillae inferioris, qui musculos maxillae obsidet. Infantibus recens natis, lactentibus, uti omnes morbi spasmodici et convulsivi, ita et haec species non infrequens est. Vidimus spasmum hunc maxillae semel in homine anasarca laborante, ubi depositio subitanea ad cerebrum facta insultus epilepticos et apoplecticos, atque et hanc maxillae inferioris constrictionem, tunc magis observandam, ubi quid ingerere vellet, produxit. Contingit etiam hic spasmus maxillae in febribus malignis, depositione facta ad cerebrum, ubi apoplectici paulo post pereunt.

Aretaeus simpliciter *Tetanon* hunc maxillae spasmum appellavit. Alia species est priori multo rarior, et a paucis hucusque notata, scilicet, maxillae inferioris ultra superiorem ea protrusio, ut dentes dentibus iam non respondeant. Tertia species est Tetanus linguae, qui-

quibusdam *Glossocele* appellatus ; plerumque aliorum morborum convulsivorum comes esse solet. Vidimus linguam tumidissimam, et mirum quantum protensam in nosocomio, in homine ex colica pictonum decumbente. Alius est spasmus *cynicus*, id est spasmus *caninus*, ubi musculi labiorum et faciei ore diducto ita contrahuntur, ut speciem canis siticulosi, et os apertum exhibentis praeseferat. Alia species est tortura oris, ubi os contractis unius lateris musculis aeque versus illud latus violenter trahitur. Distingui haec oris tortura debet a paralysi musculorum oris in uno latere, ubi praevalentibus musculis alterius lateris os aeque distorquetur. Sicut spasmus cynicus morbis plerumque acutis supervenit, ita oris tortura apoplexiae plerumque prodromus est: Cataclesis est in alterutro oculo spastica palpebrarum contractio.

Spasmus urethrae in colica pictonum multiplex est: vel enim urethrae versus corpus retractio; vel ipsius canalis contractio, quemadmodum in omni ferme dysuria, stranguriave contingit; vel est continua penis et involuntaria, morbosaque erectio, quam priapismum appellant. Spasmus graecorum flatulentus dictus, sive σπαςμος φυσοδης nobis crampus dicitur; est unius alteriusve musculi involuntaria et dolorifica per aliquot momenta contractio, in collo praecipue, sura, manuum pedumque digitis.

Alia spasmi divisio est in *acutum*, in *chronicum*, in *primarium*, *symptomaticum*; in *periodicum* certa vel incerta periodo.

Quod si spasmus subito cesset, et ut primum cessaverit, eadem celeritate denuo redeat, ita ut spasmus alternis vicibus solvatur recurratque, iam non *spasmum* dices, sed *convulsionem* adesse, etsi utraque haec affectio, modo convulsio dicatur, ut utrumque vocabulum plerisque idem sonet. Ergo convulsio in sensu strictiori est *alterna et involuntaria musculorum contractio et relaxatio, sensibus interim externis et internis integris*.

Convulsionis divisio aeque multiplex esset, si ex partium convulsivarum diversitate diversae quoque species statuerentur. Celebrior divisio est in convulsionem *acutam*, *chronicam*, quae ultima rarior est; in *continuam* et *periodicam*, *originariam* et *symptomaticam*, *deuteropathicam* et *protopathicam*. Dividitur porro in *Trismum*, sive dentium stridorem, quae convulsio musculorum maxillarium est; symptoma in acutis, phrenitide potissimum saepius obvio. In *risum sardonium*, sive convulsionem musculorum faciei et oris, cum risu involuntario. Male confunditur risus sardonius cum *spasmo canino*. Risus hic sardonius non cum animi voluptate, sed cum dolore aut iracundia efficitur; risus hic inflammato, aut vulnerato, aut suppurato diaphragmati supervenit. Item ad convulsiones pertinet tremor artuum, levioris convulsionis species; sternutatio morbosa; singultus; palpitatio cordis; chorea St. Viti ec.

Diagnosis facile formatur: minus facilis vero prognosis est; hanc ut formes, nota sequentia quasi axiomata: 1. spasmi ex inanitione ferme semper lethales; nam docente Hippocrate, aph. 5 — 3: *sanguine multo effuso,*

con-

convulsio aut singultus superveniens, malum; et aph. 5 — 2 : *vulneri convulsio superveniens, letale, vel admodum periculosum*; aph. 5 — 56 : *si fluxui muliebri convulsio et animi deliquium superveniat, malum*; aph. 7 — 9 : *a sanguinis fluxu delirium aut etiam convulsio, malum*; 2. convulsio et spasmus in acutis valde malus ; 3. convulsio tamen ante eruptionem variolarum, morbillorum, aut minus mala, aut boni etiam ominis est ; 4. convulsio et spasmus uti frequentior in infantibus, ita minus periculosus iis plerumque est quam adultis ; 5. inter adultos foeminae facilius, et minori cum periculo convelluntur, quam viri ; 6. convulsio per stata intervalla rediens, quin adventus sui signa edat, in morbos diuturnos, melancholiam, maniam, paralisin, epilepsiam, apoplexiam transit.

Quae hic circa causas convulsionis multiplices, omnisque spasmorum generis dicturus sum, altius omnino sunt imprimenda, cum in omni specie morborum nervosorum magni ea momenti sint. Equidem medendi ratio morbis hisce nervorum incerta, vaga, et persaepe mere empyrica est, tum quod cognitio exquisitior nervosi systematis nos adhuc deficiat, et meras nobis hypotheses physiologia circa nervorum functiones pathologiae transmittat; tum et alia ratio methodum medendi incertam reddit, scilicet, tam multiplex morborum nervosorum facies est, spasmi varii, variarum partium, varia ratione sese conspectui offerentes, convulsionum diversissima forma, diversissimosque aemulata morbos, catalepsis, epilepsia, aut compositum, spasticum, convulsivum

tetanoideum quid, catalepticum, epilepticum, apoplecticum quid simul habens: tam multiplex, inquam, morborum nervosorum facies medicum facile confundit, idque efficit, ut de vera morbi causa ne somniet quidem, et consilii expers obvium quid titulo *antispasmodici* donatum arripiat.

Sed videamus, an non aliquid lucis rei huic, etsi perobscurae, afferre possimus. Oportet medicum quosdam habere canones, qui in morbis his adeo frequentibus, aspectu horridis, eventu persaepe letalibus, ipsum dirigant, et si iuvamen supersit nullum, eum tamen aptum reddant, ut prognosin securiorem formet. Quae hic dicturus sum, ad omnem spasmorum convulsionumque genus pertinent, ad ipsam adeo gsavissimam et universalem totius fere corporis convulsionem, scilicet ad epilepsiam spectant. Multum praeterea lucis inde accedet morbo alteri, frequentissimo nostris temporibus, molestissimoque, morbo videlicet hysterico et hypochondriaco.

Ante omnia in memoriam revocanda sunt duo causarum morbificarum genera, quorum alterum *praedisponentes*, alterum *excitantes* complectitur. Videamus praedisponentem causam in omni spasmorum, morborumque nervosorum genere. Novimus vim illam musculis insitam, antiquis iam notam, explicatam a Baglivio, Boerrhavioque, sed multis experimentis hac demum aetate ab illustrissimo *Hallero* confirmatam, irritabilitatem dico: haec varia est variis in hominibus. Rusticus helvetus e. g., qui montium incola solo lacte et caseo victitat, tam exigua fibrarum irritabilitate gau-

det,

det, ut vitri antimonii 24. grana, incredibile dictu! facile devoret, et lenem inde emesin patiatur. Quo quis victu duriore utitur, sole frigoreque magis duratur, animus minus cultum politumque litteris habet, eo minori irritabilitate gaudet. Verum uti haec corporis naturalis proprietas *defectu* peccare, sic et *excessu* potest. Consideremus corpus molle; mollibus, delicatis, aromaticis, carneis usum alimentis; potibus vinosis, spirituosisque, calidis mixto aromate, ut Thea est et Coffe. Consideremus hominem aut litteris deditum, elegantioribus praecipue, iisque, quae, praeterquam quod vim intelligendi exerceant, varia insuper pathemata, frequenterque et valde excitent; hominem, qui hac ratione educatus, his imbutus scientiis, genio et amoribus liberius indulget, illicitisque praesertim, ut qui mentem vehementius aggrediuntur: hocce in homine vis irritabilis aucta supra modum erit, et *excessu* peccabit. Hoc in homine modo descripto vis irritabilis ita aucta non soli illi stimulo naturali, provenienti fortassis a liquido nerveo, obediet; sed quicunque alius peregrinus stimulus sufficiet ad concitandam atque in actum deducendam vim hanc irritabilitatis nimium auctam. Utriusque hominis, minus quam oportet, et nimium irritabilis, imaginem, sequens observatio sistit. Notum est carnes bubulinas, aut aliorum grandiorum animalium, animali occiso sat cito vim irritabilem perdere, eamque non tam facile quocunque adhibito stimulo excitari posse: at vero carnes ranarum occisarum solo adsperso sale in diuturnos

inor-

inordinatosque motus concitari. Sic rusticum quadratum, duroque de robore natum diaetae vitium, aut inclementior aër, aut mors parentis audita, aut spes adamatae puellae, aut omnino non, aut mediocriter afficit: e contrario hominem nostrum nimis irritabilem ventriculus plenior, aura frigidior, vel nuntius quidam gratus ingratusve valide commovebit, variosque inordinatos motus a peregrino hoc stimulo, ut carnes ranarum ab adsperso sale experietur, prout vel haec, vel illa corporis pars magis minusque irritabilitatis excessu peccat.

Credo vos mirari, auditores optimi, cur morbos nervorum dictos a nervis ad fibras musculares, earumque vim irritabilem transferam. Verum morborum spasticorum omnium subiectum fibra muscularis est, quarum inordinata contractio ipsum morbum constituit. Nervi ipsi, et cerebrum nervorum origo contractionis, spasmi, convulsionis incapaces sunt: mediante nervo vis irritabilis solummodo in actum deducitur.

Explicata hac causa *praedisponente*, videamus alias, excitantes apellatas, quae tanquam totidem stimuli considerandae sunt, vim irritabilem ad motus inordinatos excitantes. Si quis nos roget catalogum causarum excitantium, facile respondebimus dicendo, nullam esse cognitam causam, quae in certis hominibus, praedispositis videlicet, non aliquando visa sit morbum quemdam nervosum produxisse. Hinc omnes causae aliorum morborum in homine praedisposito possunt nimiam irritabilem vim muscularem in morbos exorbitantes, inordinatosque agere. Haec observatio gravissimi mo-

menti

menti in cura horum morborum est, eaque solum tam diversarum, quin et oppositarum opinionum circa morbos nervosos vigentium explicatus promptos suppeditabit. Interim etsi quaecunque res inter sex res non naturales dictas morbum nervosum producere valeat, tamen quaedam causae frequentiores, ac prae caeteris omnibus nervos afficere observantur; hinc earum catalogum perbrevem iuvat subnectere.

Hippocrates causas has excitantes ad duas classes sect. VI. aphor. 39. reduxit, scilicet ad *inanitionem*, et ad *repletionem*: verum *tertium* causarum genus *de Gorter* adiunxit, videlicet *irritationem*. Ad has ergo classes revocari sequentes morborum nervosorum causae possunt: evacuationes nimiae sanguinis partu, abortu, vulnere, et quacunque demum ratione; evacuatio nimia per vomitum, alvum, nimia deperditio seminis; item evacuationes solemnes suppressae, haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum ec.; febris inflammatoria, pleuritis, angina, febris larvata cum convulsionibus rediens, medicamenta drastica, venena, vulnera, nervorum punctiones, tendinum distractiones, luxationes, fracturae; lapsus in dorsum, cervices, lumbos; vitia primarum viarum, sc. acidum in infantibus, vermes, bilis, pituita; materies podagrica ob plethoram, aut debilitatem, aut artuum incapacitatem retrogressa; materies exanthemathica variolosa, miliaris, erysipelacea, retropressa, retenta; animi pathemata varia; ulcera et fonticuli intempestive clausi; herpes retropressus; pus retentum. Labor nimius mentis et corporis, vigiliae, fa-

mes,

mes, moeror. Calculi vesicae, urethrum, renum; dentitio. Convulsiones vero universales, sive epilepsiam, saepe et hae hucusque memoratae causae producunt; item etiam sequentia vitia: scil. encephali varia: velut abscessus cerebri cerebellique; meninges putridae, cartilagineae, ossificatae; colluvies serosa encephali, sinus venosi angustati, dilatati, cartilaginei; cranii depressiones, exostoses. Interim omnia haec vitia intra calvariam haerere possunt, quin propterea convulsiones, spasmos, epilepsiam producant. Ulterius: levis etiam irritatio, qualis est titillatio pedum, titillationes excitat. Item distentio, inflammatio in dentientibus a perrupturo dente; ventris tormina, quae rarius in adultis convulsionibus iunguntur, in infantibus saepenumero diros spasmos, et insultus epilepticos apoplecticosque causant. Partus difficilis primiperarum maxime; imaginatrix vis ingens; ebrietas; venus, cum aliqui in ipso actu venereo epilepsia corripiuntur, quod non adeo rarum est observare. Singularum causarum hucusque enarratarum exempla afferre supervacaneum puto, cum quivis ea facile apud casuum collectores reperire queat. Pauca tantummodo supersunt circa quasdam convulsivorum morborum causas: scilicet vulnera saepissime convulsionibus et tetano multiplici iungi. Vulnera *artuum extremorum* potius, quam trunci corporis convulsionibus tetanoque ansam suppeditant: Teste *Bontio*, *Bisset*, *Lind*, hoc symptoma vulneribus frequentius in Indiis orientalibus, quam alibi terrarum supervenit. Vulnera cum simplicia tum composita, punctim, cae-

sim,

sim, et quacunque alia ratione inflicta hoc malum post se non raro trahunt; attamen id quidam observasse volunt, vulnera punctim facta morbos convulsivos celerius accersere, praesertim male instituta venae sectio. Iis nervorum morbis, spasmo convulsionique subiacent frequenter illi, qui operationem chirurgicam passi sunt, *amputationem* maxime. Testes huius rei locupletissimi sunt *Huckius*, *Paraeus*, *Lind*. Mirabile, quodve vix ullam explicationem rationabilem admittit, illud ab omni aevo videbatur, quod vulnera non statim, sed post aliquod tempus, ubi iam pus fundunt, quin ubi consanationi quam proxima sunt, imo vero postquam penitus iam obducta cicatrice coaluere, nihilominus graves convulsiones, tetanosque letales producere. Notus est *Bilgueri* casus (*In den chirurgischen Wahrnehmungen ste Abtheil. ste Wahrnehmung.*). Ubi rupto achillis tendine, et vulnere vix non consanato, solamque expectante cicatricem, faciei distorsio, et demum maxillae tetanos supervenerat. Causa mali huius sollicite in vulnere quaesita est; repertum nihil; nullum ossis, aut tibiae, aut calcanei fragmentum; nulla tendinis pars nuda; nulla acria, rodentia, caustica adplicata vulneri indita fuere, nec de ullis aeger in ipso vulnere doloribus querebatur, quod fere ex integro cute iam tegebatur. Oleosa, emollientia externe et interne adhibita, et opii largior dosis aegrum servavit.

Ex observationibus auctorum circa spasmos vulneribus supervenientes liquido patet, eos non a magnis magis, quam paucis, imo contemnendis etiam vulneribus timendos esse,

parque

parque periculum afferre ; id quod *Hippocrates* L. II. Prognostic. iam asseruit ; ait enim : *ex cuiusvis generis vulneribus mori homines contingit* . Haec res summae semper admirationi medentibus fuit , idque adeo quidem , ut *Morgagnius* addubitarit , num ex causa adeo levi , uti est vulnusculum , tam portentosum malum oriri queat . Verum numerus observationum circa hanc rem tantus est, ut iis fidem derogare nefas omnino sit . Ceterum haec, utut mirabilia sint, tamen id omnium maxime mirari subit, qui fieri possit, ut dum extremae corporis partes e. g. extremae digitorum phalanges vulnerantur , plerumque maxilla primum obrigescat, ceteris interim partibus a spasmo adhuc immunibus .

Praeter vulnera , etiam contusiones spasmos excitant. Celeber. Chirurgus *Schmucker* refert , milites tetano in Bohemia et Moravia frequenter fuisse correptos , qui a globis bellicis in lumbos aut artus impactis non solum vulnus nullum , sed nec maculas in locis contusis contraxere . *Vulneri convulsio superveniens , letale* ait Hippocrates , sect. V. aph. 2. Hoc assertum hippocraticum observationibus recentiorum confirmatur ; nam e 13. aegris , quos a vulnere trismum passos *Hackius* vidit , non nisi duo evasere ; et ex 40. aliis , quorum *Monro* meminit 39. periere (*Neve medicinische Versuche und Bemerkungen von Edinburg.*) . Vix ullum evasisse vidit *Theden* inde , antequam largus opii usus , de quo postea , in Germania innotuisset .

Praemissis his , ad ipsam curandi rationem accedamus . Duo sunt in cura morborum nervosorum elaboranda : *primo* ut causam ex-

ci-

citantem detegas, eamque removeas; quamdiu enim stimulus hic nervis applicatus est, tamdiu motus inordinati persistent; *alterum* est, ut ablato stimulo hominis nerveum systema praemunias, ne tam facile ad irregulares motus sollicitetur; sive imminuenda est illa excessu peccans vis irritabilis. Ex his apparet omnis generis medicamenta *nervina* esse posse et *antispasmodica*, etsi *nervinorum* nomine certa tantum remediorum classis venire soleat. Pauca tantum circa remedia delibabimus.

Sic venae sectio antispasmodicum est in convulsionibus a plethora oriundis, et humorum orgasmo; in auxilium tunc simul vocentur emulsa nitrosa, serum lactis tamarindinatum, ut sanguinis copia phlogosisque, quae stimuli vices agit, auferatur. Nocent tunc gummi ferulacea, castoreum, camphorata, moschus, spirituosa; nocet opium ipsum, potentissimum licet antispasmodicum. Maxime autem haec nervina dicta nocent in convulsionibus, quae febribus acutis, inflammatoriis superveniunt; harum enim convulsionum eadem parsaepe causa est, quae delirii, vigiliarum, ec. Auctior tunc humorum motus per vasa encephali, et incipiens cerebri meningumque inflammatio. Hoc in casu, ortis scilicet convulsionibus diathesi inflammatoria, *nervina* et *antispasmodica* erunt posca, raso capiti adplicata, ore assumpta. Item in convulsionibus variolantium antispasmodicum summum erit expositio infantis variolantisque in aërem liberum, uti probata multoties methodus inoculatorum ostendit.

In

In convulsionibus ab aquosa depositione ad cerebrum, uti nonnunquam in anasarca contingit, ubi intra telam cellulosam contentus liquor ad quasdam partes, quae laxiorem telam cellulosam habent, copiosius defertur, tumoresque excitat, uti tumorem scroti, penis ec.; retrogressus is humor meninges cerebri petat, et omnis generis convulsiones, tetanos, insultus epilepticos, ac ipsam denuo appoplexiam *serosam* dictam excludit, nervinum remedium atque antispasmodicum erit vesicans raso capiti adplicatum.

Morbos nervosos infantum potissimum ex abdomine oriri certa observatio est; hinc nervina et antispasmodica erunt, quae meconium expurgant, lac acidum partim corrigunt, partim vomitu aut alvo eliminant; quae infarctum abdominis a crassiori nutricis lacte, a pulte farinacea ingesta ortum solvunt, educuntque. Item hic vobis ea omnia in mentem revocate, quae de epilepsia infantum dicta sunt, cum omnes illae causae spasmos convulsionesque, et demum apoplexiam efficere solent.

Consideremus iam remedia quaedam celebratiora, opium, moschum, castoreum, gummi ferulacea, foetida et empyreumatica quaevis, corticem peruvianum, viscum quercinum, folia aurantiorum, radicem valerianae sylvestris, emetica, ec.

I. Opium sub sequentibus conditionibus in morbis convulsivis exhibeatur, quas quidem is facile determinabit, qui vires opii probe noverit. Hinc 1. convulsionum causa non sit plethora, neque inflammatio ulla. Hinc

ubi

ubi venae sectio directe indicatur, opium, utpote venae sectioni contrarium contraindicatur; 2. convulsiones, ubi opium dari potest, non sint a repletione ventriculi, saburra quacunque, biliosa, acida, ec. nec sint a vermibus, pituita, cum opium materiem hanc tanquam causam convulsionum intra abdomen concludat, et eius excretionem difficilem faciat; 3. spasmi, convulsiones a nimia seminis deperditione opium prohibet, utpote stimulans et aphrodisiacum; 4. convulsio a nimia emesi, catharsi, cholera opio sanatur; 5. convulsio, spasmus, tetanus maxillae, a perspirabili sanctoriano oriri solitus, iis praecipue in terrae plagis, quae aestuosiore uruntur sole, et noctes frigidas, madidasque habent, opio, potenti simul sudorifero facile tollitur; 6. quando punctus aut semilacerus nervus, aut tendo irritationem ad encephalon propagat, et morbos spasmodicos producit, larga dosis opimorbum sopiet interea, dum manus chirurgii ca simul opem semilacerato tendini ferat. In observationibus medicis *Londinensibus* cl. *Sylvester* memorat affectum spasmodico-convulsivum maxillae inferioris a laesione forti tendinis alicuius digiti (aut forte nervi tendinem perreptanis) enatum et opio sublatum. Is auctor omnium primus iustum ac legitimum opii usum in morbis spasmodicis vulneri ocyus aut serius supervenientibus detexit, et doses duplicatas, triplicatasque propinavit. In eiusmodi convulsionibus, spasmis, tetano post vulnera large et diu datum saepissime solum ad perfectam curationem sufficit, modo illud fuerit observatum, ut si quid peregrinum in vul-

nere esset, e. g. particula laedentis instrumenti; fragmentum ossis ec. illud eximeretur. Convulsiones varias a clavo ferreo pedi infixo opio curatas narrat cl. *Clephane* (*Medicinische Bemerkungen und Untersuchungen einer Gesellschaft von Aerzten in London.*) 7. ubi ingens alicubi in corpore dolor totum systema nervosum in consensum ciet, et convulsiones excitat, opium praestans remedium erit. Quaeritur hic, an opium solummodo animae sensum doloris adimat, an, inquam, opium prohibeat, ne fibrae nimium tensae irritataeque iam non amplius in mentem agant; vel vero an opium plus praestet, et praeter sensum doloris, ipsum dolorem, ipsam nimiam fibrarum contractionem irritationemque tollat. Quaestio haec non intra solas speculationes continetur; eius resolutio usum practicum eximium habet; etenim si solum auferat doloris sensum, et animum per aliquot horas quasi corporis sui inscium reddat, manente interim eodem morboso statu, miserum, saepissimeque infidum ab opio levamen habebimus. Verum certum est, fibrarum tensionem, crispationem irritationemque ad aliquod saltem tempus tolli, et stimulum irritantem per aliquot saltem horas inertem, inefficacemque esse.

8. In convulsionibus a calculo uretheres irritante opium copiosum copiose cum oleo datum unicum persaepe remedium est.

9. In convulsionibus et insultibus epilepticis paulo ante eruptionem variolarum observari consuetis, opium duplici ex capite prodest: 1) nervos componit, 2) materiem variolosam, utpote diaphoreticum summum, ad superficiem

em corporis ablegat. Convulsiones hae ex mente Sydenhami boni ominis sunt; interim sunt, quibus encephalam nimia vi convulsionum adeo laeditur, ut noxas inde varias per omnem vitam experiantur.

10. In convulsionibus a restitante materie podagrica non ob plethoram, et circulum inde suffocatum, sed ob vitae virium debilitatem, opium egregium simul cardiacum (etenim cum exilarantibus vinosis comparatur) haustu vini boni propinatum, materiem podagricam ad locum aptum, artus scilicet extremos determinabit.

11. Opium conveniet, ubicunque acris, volatilis et causticae indolis materies intra corpus haerens convulsiones movet, modo is materiae irritantis natura sit, ut diaphoresi excitata difflari queat.

12. Convulsiones ab acri, drastico ortae opium poscunt, modo id caveatur, ne ex irritante veneno aliquid retineatur. Hinc excusso iam veneno, aut eo per iugem diluentium usum enervato, superstites vomendi conatus, dolores residui, spasmique opio sunt compescendi.

II. Alterum in morbis convulsivis celebratum remedium est *Moschus*. Cl. *Zanetti* in novis actis N. C. in subsultu tendinum, et tetano totius dorsi, post laesum externum pedis pollicem, sperato cum effectu moschum dedit ad grana octo bis per diem. Plures exstant historiae, quae huius remedii efficaciam in convulsionibus vulneri supervenientibus demonstrant. Cl. *Morgenstern* in iisdem novis actis N. C. narrat morbum convulsivum in

puero usu moschi sanatum, ubi morbi causa studium litterarum, ad quae verberibus diutius et saepius adigebatur. Interim Cl. *Farr* et *Clephane* moschi usum non ubique adeo felicem experti sunt. Prodest etiam praeter dictos casus in convulsionibus hystericarum, virorum hypochondriacorum, in convulsionibus a suppressa perspiratione ortis ec.

III. Tertium ex celebratioribus antispasmodicis, *castoreum* ab omni aevo habebatur. Prodest iis ferme omnibus, quibus moschum convenire diximus.

IV. Gummi ferulacea, asa foetida maxime, nomine remedii nervini donatur. Duplici illa vi gaudet, *resolvente*, qua pituitosos infarctus expedit, leniter stimulat, et omnes secretiones ac excretiones promptiores reddit: *altera* vis est *anodyna* et ferme opiata, qua scilicet irritatum nerveum systema, seu, ut verius loquar, irritatas fibras musculares componit, vimque irritabilitatis nimiam ad aliquot saltem horas minuit. Hinc spasmos ventriculi et intestinorum, qui maximam partem morbi hysterici et hypochondriaci efficiunt, feliciter solvit. Asthma illud secundarium, ex spasmis ventriculi et intestinorum, ad pectus propagatis ortum, asa foetida tollit. Foeminas paroxysmo histerico sopitas, aut correptas convulsionibus, abolita deglutiendi facultate, clysma, cui asa foetida miscebatur, denuo restituit. Spasmodicam hystericarum et hypochondriacorum colicam idem clysma frequenter sustulit. In tussi convulsiva cl. *Millar* mirum in modum laudat asam. Convulsiones a vermibus subinde idem remedium compescit, etsi

si alia habeantur multa hoc in casu promptiora remedia. Quaeritur, quare asa et reliqua gummi ferulacea per eminentiam nervina dicta sint? Respondeo: cum foeminae morbis spasmodicis prae viris obnoxiae sint, et praeter nimiam irritabilitatem, vera insuper debilitate, viscerum abdominalium infarctu pituitoso, humorum aquoso mucosoque statu laborent, hinc medicamènta, quae praeter resolventem et leniter roborantem virtutem, vim simul anodynam possident, huiusmodi foeminis pulchre prosunt, et hinc per eminentiam *nervina* et *antispasmodica* appellantur.

V. Foetida et empyreumatica quaevis vi anodyna et quasi opiata agere videntur, cum etiam opium virosum, et foetidum quendam odorem spargat.

VI. Corticem in morbis spasmodicis laudari vel in vulgus notum est. Cortex roborante principio gaudet. Plura equidem, quin innumera fere roborandi virtute praedita remedia materies medica suppeditat; interim nullum hucusque medicamentum detectum, cuius vis roborans humano corpori adeo amica sit, et ad corrigendam nimiam irritabilitatem adeo proportionata. Cortex causas excitantes convulsionum raro tollit, sed in causam *praedisponentem* agit, in vim scilicet irritabilitatis, quam minuit, efficitque, ut fibrae musculares non statim cuilibet stimulo peregrino obediant. Hinc facile perspicitur, corticem non semper solum sufficere, sed opus esse, ut causa excitans convulsionem prius tollatur, et demum systema nerveum cortice hoc corroboretur, praemuniaturque. Convenit ergo cortex:

1. In morbo hysterico non quocunque, sed eo, qui post haemorrhagias, partus frequentes, morbos acutos praegressos ortus est. Universim in illa morbi hysterici specie, quae praeter *irritabilitatem* simul secum iunctam habet *debilitatem* fibrarum. Nimia enim irritabilitas neutiquam cum debilitate confundi debet, etsi saepe bina haec vitia simul iungantur.

2. Non convenit cortex peruvianus in illa altera mali hysterici specie, ubi nimia quidem irritabilitas fibrarum adest, sed haec in actum deducitur ab humorum copia, plethora, et inflammatoria sanguinis densitate. Casus hic non infrequens, cum foeminae otiose viventes, laute pastae humorum turgescentia laborent, simulque nimia irritabilitate; hoc in casu cortex non convenit, nisi depletionibus factis, demptoque sanguine.

3. Convenit in morbis spasticis a studio literarum nimis culto, nocturno praecipue, ut ferme semper, si ventriculi debilitas, apepsia, bradypepsia ec. adsint; item in morbis spasticis tabem dorsalem comitantibus.

4. Cortex prodest in omnibus morbis convulsivis, epilepsia ec., ubi nullum organicum vitium, quodque auferri nequit, causae excitantis vices subit, sed ubi causa haec excitans aut removeri potest, aut si non potest, eius tamen natura sit, ut in systema nerveum cortice roboratum nil amplius valeat. Hinc insultus epilepticos a spirituali quasi causa, animi pathemate, ira, timore ec. excitari solitos, nullo interim manifesto vitio corporis praesente, roborans cortex sanat.

5. Convenit in convulsionibus periodice, per modum febris intermittentis redeuntibus.

6. In tussi convulsiva subinde egregie profuit. Constat ex observationibus *Rosensteinii* dari speciem quandam tussis convulsivae, subinde epidemicam, quae omni alterno die gravius aegrum urget, suasque exacerbationes habet fere ut febris tertiana. Constat praeterea tussim hanc analogiam habere cum morbis spasticis convulsivisque. Haec observatio medicos ad corticis usum in tussi convulsiva determinavit. Sed iusto hic ordine incedendum est. Cum tussis convulsiva sedem suam primario in ventriculo habeat, et vera tussis stomachica sit, ac primum tractu temporis vitium ad ipsos pulmones propaget, hinc solventia, eccoprotica, emetica etiam, et in habitu paulo pleniori ac plethora, etiam venae sectio praemitti debet, et demum cortex subiungi, cui sal quidam mitior, praecipue terra foliata tartari feliciter iungitur. Corticem hoc in morbo inter primos extollunt *Brendelius* in programmate de tussi convulsiva 1747. *Strandberg* ad annum 1749.; tempestivum eius usum commendat *Whytt*, tempestivum inquam, antequam scilicet pituita ventriculi ad pulmones transiret. Cl. *Millar* corticem in asthmate et tussi convulsiva aeque magni facit, verum potius circa finem morbi, et potius ad robur fibrarum restituendum, quam ad morbum in sua radice subigendum: praemisit is vomitoria purgantiaque, si materies adhuc in primis viis hospitabatur; in auxilium vocavit vesicantia, resolventia remedia, si metuebatur pulmonum obstructio, aut si ea nata iam fuerat.

Iuvat hic usum corticis exactius paulo determinare. Cl. *Bisset* asserit, se nunquam potuisse tussim convulsivam instar febris intermittentis sopire solo cortice; quin imo in vigore huius morbi corticem nocuisse materiem inspissando, vasa constringendo; non profuisse corticem, nisi ubi tussis longioribus intervallis redire solebat, maxime autem convenire ad morbi huius recidivas praecavendas, ad alia mala ex tussi convulsiva oriri solita avertenda, praecavenda, uti sunt rachitis, scrophulae, tabes; itemque robur corporis restituendum. Cl. *Morris* in tussi convulsiva cortici vel eius decocto castoreum, vel essentiam castorei iunxit.

Qui debili ventriculo sunt, facilius ferunt sequentem corticis praeparationem.

R. Pulv. cortic. peruv. unc. jv.
Rad. gentian.
Cortic. aurant. $\overline{aa}$. unc. j ß.
Misce: infunde cum spiritu vini gallici libr. jv. stent in balneo urinae per dies sex, tunc coletur; bis de die cochleare maius cum 4. cochlearibus aquae.

VII. Perventum est ad aliud remedium ab antiquissimis temporibus usitatum, *Viscum quercinum*. Superstitio plantam hanc parasiticam in quercu, arbore quondam sacra, natam contra morbum sacrum, seu epilepsiam introduxisse in usum videtur. Videamus quid boni inde, et ubinam sperandum sit. Plantae huic inest mucilago quaedam cum principio roborante, amaricante, non magno. Hinc convenit ad nimiam irritabilitatem, debilitati si-

simul iunctam *corrigendam*; ad acrimoniam humorum nervos stimulantem *involvendam*; prodest ergo foeminis non plethoricis, irritabilibus *per excessum*, simulque laxis, et tenues acresque humores habentibus; pueris, infantibus, puellis chloroticis simul et morbo spastico obnoxiis; multoties profuisse in chorea St. Viti apud *Colbatchium* legitur; itemque apud *Hoelderer*. Hinc adparet, quare remedium hoc inter analeptica numeretur, et quonam in casu adhiberi queat. Id hic serio monendum, viscum quercinum una cum cortice, sive non decorticatum adhiberi debere, cum maxima vis medicamenti in cortice ipso resideat, etsi multoties decorticatus in pharmaciis deprehendatur. Praescribitur in decocto ea fere ratione ac cortex peruvianus; item in pulvere ad dr. ß. dr. j. pro dosi. Quamvis cortex una cum ligno in usu fuerit, nihilominus Cl. *Bolbatchius*, qui in usum visci adcuratius inquisivit, pulverem potius elegit ex *foliis*, *baccis*, et *turionibus* paratum, quibus plantae partibus nemo fere, praeter solum Hippocratem, usus legitur.

VIII. Alia morborum nerveorum auxilia suppeditant *Hyosciamus*, et *Strammonium*. *Hyosciamus niger* ab ill. Praeside multis in morbis celebritatem promeritam nanciscebatur. Iuvat hic remedii huius usum perpendere. Extractum ex succo foliorum recentis herbae presso paratum vi ferme consimili, qua opium agit, et quasdam prae ipso opio praerogativas habet, scilicet quod alvum non coërceat, uti opium solet, quin imo deiectiones crebriores faciat; quod somnum tranquilliorem reddat

non

non raro, ubi opium molesta insomnia producit. Legimus profuisse in convulsionibus variis, palpitatione cordis, mania, melancholia, haemoptysi, asthmate, epilepsia, cephalalgia inveterata, tussi vehementissima. In spasmis ventriculi et intestinorum teste *Whytt* egregie valuit; tussis titillatoria dicta referente Rosensteinio brevi conticuit. Quaeritur, sub quibus conditionibus hoc extractum conveniat? Respondeo: ubicunque opium vi ipsius morbi principis indicatur, attamen exhiberi nequit propterea, quod alvum claudat; hoc inquam in casu extractum hyosciami iuvat. Magni momenti haec hyosciami qualitas est, quod vim anodynam, quin tamen alvum immorrigeram reddat, possideat. Sic forte magnis dosibus datum extractum hyosciami in colica pictonum prae opio, licet omnium hucusque in hac colica praestantissimo remedio, valeret. Certe ut primum sese denuo experiundi occasio offeret, videbo quid virium hyosciamus in colica saturnina habeat. Quaeritur, an sola vi anodyna, et nimiam irritabilitatem minuente hyosciamus agat? Respondeo: non videtur; etenim per experimenta cl. *Greding* constat, omnibus fere, quibus datus hyosciamus est, sudores prorupisse aeque ac ab opio, item exhanthemata; motas copiosas urinas fuisse, crebiores factas esse alvinas deiectiones; observatae etiam sunt aliae secretiones et excretiones auctae, ut hinc praeter principium anodynum etiam alia vis stimulans et resolvens admitti debeat. Hinc quilibet facile secum statuet, non quibuslibet nervorum morbis a quacunque causa oriundis hyosciamum mederi: dosis gr.

§ 1 ad 18. *Strammonium* ab illustrissimo nostro praeside tentatum cum sucessu est contra nervosos morbos, epilepsiam maxime, et maniam. Experimenta haec *Stoerkiana* Stockholmii iterata, auctaque cum fortunato pluries effectu fuere. Strammonii extractum plus praestitisse visum est, quam ullum aliud laudatum antiepilepticum, aut antimoniacum, ut ita dicam, ut videmus ex diss. cl. *Wedenberg* de stramonii usu in morbis convulsivis. Per experimenta cl. *Greding* constat, strammonium praeter anodynam vim possidere simul insignem acrimoniam, qua humores potenter solvit, attenuat, et ad secretiones et excretiones diversas determinat. Hinc eadem illi vis ac hyosciamo inesse videtur, et sola intensione graduque differre, ita ut hyosciamus strammonio inferior sit. Dosis ab uno grano ad 4 — 6 — 8. Id adhuc notandum, strammonium alvum adeo non cohibere, ut eum plerumque laxam reddat. Extractum eius paratur ex succo expresso et inspissato.

IX. Aliud remedium nervinum et antispasmodicum habetur in *Valerianae minoris* radice. Radix haec odoris penetrantis, subnauseosi, saporis ingrati, amaricantis, subacris, et, si diutius olfeceris, temulentiam inducentis, vim habet potenter resolventem, attenuantem pituitosa, stimulantemque ac anodynum quid. Convenit imprimis foeminis ex menstruorum suppressione, habitu mucoso, laxitate solidorum frequenter convulsis; item infantibus pueris ex infarctu abdominalium viscerum, ex vermibus epilepsiam pati solitis. Curata legitur apud *Sauvages* epilepsia sub exercitio venereo

re-

redire consueta; item alia in foemina a terrore orta. Multa de huius radicis usu inter recentiores scripsere cl. *Marchant* in *memoriis Acad. reg. sc. parisien.* ad 1706; item *Chomel*, *Whytt.* Multas curationes morborum spasticorum, epilepsiae praeprimis, se debere *Tissotus* fatetur tractatu de *epilepsia*, ubi simul affirmat, illam epilepsiam tuto immedicabilem pronuntiari posse, ubi haec radix non iuverit. Habetur etiam cura morbi hysterici, hypochondriaci, choreae S. Viti, quin et colicae pictonum ope radicis Valerianae peracta. Palmarium habetur in hemicrania, glandularum obstructione, vermibus. Dosis est scrupulus j. drachm. β. raro ad dr. j. cum levi stomachico, aqua cinnamomi, aut pauxillo macis, aut ex haustulo vini. Datur etiam duplex eius extractum, aquosum et spirituosum; spirituosum aquoso potentius est. In connubio vel martis, vel corticis peruviani heroicum saepe nervinum in supra dictis casibus haec radix praestat.

Alteram Valerianae speciem, *Valerianam* nempe *maiorem*, seu *Phu* dictam cl. *Scopoli* pariter in epilepsia commendat, etsi minoris sit in curando hoc morbo celebritatis, quam valeriana minor.

X. *Foliorum aurantiorum* antispasmodica nervinaque virtus in principio aromatico et roborante consistit, unde facile casus illi determinabuntur, ubi pulvis foliorum aurantiorum vel eorundem decoctum prodesse potest.

XI. In enarratione remediorum antispasmodicorum unum superest, quod verebimini ad hanc classem primo intuitu referre; de

Ipe-

Ipecacuanha loquor. Varia certe, fidissimaque simul documenta suppetunt, quae vim antispasmodicam ipecacuanhae demonstrant. In asthmate spasmodico hystericarum et hypochondriacorum omnibus aliis antispasmodicis longe antecellit. Quod si asthmaticus hic paroxysmus diutius duret, gravius urgeat, gravioraque inde mala timeantur; si praeterea consueta nostra obviaque antispasmodica non sufficiant, solvendis thoracis spasmis ipecacuanha ad scrupulum data ventriculi spasmum emesinque faciet, et pectoris spasticam contractionem solvet, ea lege, quae universim in corpore animali obtinet, ut spasmus alicubi existens alio alibi per artem excitato, solvatur. Sed unum, duo, tria grana deglutita hoc in casu, etsi emesin non concitent, nihilominus nauseam, levemque ventriculi irritationem faciendo, spasmum asthmaticum solvent. Haec eadem vis ipecacuanhae antispasmodica multoties vix sistendas alias haemorrhagias compescit. Iuvat hanc vim sistendi sanguinis fluxum praeternaturalem paulo adcuratius perpendere.

Constat haemorrhagias *plerasque* a causa interna ortas, ac praeprimis in foeminis, plerumque spasmis deberi; ubi vasis alicubi spastice constrictis sanguis vi aliorsum urgetur, ibique extremos vasorum fines disrumpendo haemorrhagiam efficit. Hinc ipecacuanha, dosi exigua data, etsi vomitum non causet, irritando leviter ventriculum spasmos solvet, motumque humorum versus interiora, ac praeprimis versus systema gastricum convertet. Verum non nudam solummodo specu-

latio-

lationem dico, dum vim ipecacuanhae antispasmodicam refero. Cl. *Barbeirac* asserit, in immoderato catameniorum haemorrhoidumque fluxu, imo etiam in haemoptysi hanc radicem convenire; utique non promiscue in haemorrhagia quavis, sed in ea tantum, quae a spasmis originem habet. In fluxibus sanguineis tum pectoris, tum uteri clar. *Gianella* remedium omnium optimum et constantissimum ipecacuanham arbitratur. Cl. *Dahlberg* multis observationibus nuper vim ipecacuanhae haemorrhagias uteri sistentem comprobavit; dedit is pro dosi gr. $\frac{1}{4}$ gr. $\frac{1}{3}$ cum sacharo omni trihorio, quadrihorio. Profuit teste eodem auctore in mictu cruento, haemorrhagia trimestri uterina. Plures alii indubitatis observationibus idem confirmant. Vi certe adstringente, utpote in tam exigua dosi, fluxus sanguineos non sistit. Verum utut ipecacuanha qua emeticum, simulque roborans (etenim roborandi quoque virtute valet) memoratis in casibus quandam praerogativam mereatur; nihilominus vim quoque antispasmodicam exiguae doses tartari emetici exerebant, ita videlicet propinatae, ut earum operatio intra solas nauseas, leviores nempe ventriculi irritationes consisteret. In ipso diro epileptico insultu vomitus arte excitatus paroxysmum solvit. Has exiguas tartari emetici doses *Elias Hirschel* (*in medicinischen Nebenstunden*) in morbis spasmodicis, tussi praeprimis convulsiva perutiles deprehendebat; etsi, ut verum fatear, ob vim roborantem ipecacuanha praeeligenda videatur.

XII. Praeter hucusque enumerata remedia celebre quoque nomen *flores Zinei* per cl.

Gaubium

Gaubium nacti sunt; usum eorum idem praeclarus autor in suis *adversariis* varii argumenti fusius exponit. Peculiarem quoque ante 4 annos ea de re nobiscum communicavit cl. *Iacobus Hart*. Commendantur hi flores dosi ad $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{3}$ ad $\frac{1}{2}$ granum, ter quaterve per diem in convulsionibus infantum ab acido, a dentitione, aliis huius aetatis affectionibus spasticis, etiamsi ab acido non proveniant. *Gaubius* veram quoque epilepsiam eodem remedio sanavit, et egregios multoties effectus in tussi convulsiva, singultu hysterico, spasmo cynico mirabatur. Nuperrime flores hi contra morbos supra memoratos magnopere commendantur in commentariis rerum medicarum et philosoph. societatis Edimburgensis, item ab *Hirzel* et *Mutzel*. Videntur flores hi triplici virtute agere: *absorbente* primo, et dein leniter *tonica*, ac nimiam irritabilitatem *corrigente*.

Multa supersunt alia, uti balnea, oleosa externe et interne adplicata, fimus equinus in tetano maxillae adplicari solitus per modum cataplasmatis, vesicantiaque, quorum mentionem hic facere supersedebo, cum sufficienter cognita sint. Unicum tantum remedium superest, scilicet mercurius. Vis eius in tetano maxillae comprobata: datur autem tunc ad salivationem usque; item in epilepsia, sanando tophos, corrigendo miasma, fors et alia adhuc ignota ratione.

Ceterum in morbis convulsivis diuturnis, si te omnia deserant, haec observato:

1. Iuvantia, nocentia.
2. Vitia complicata.

VII.

VII.

MORBI INFANTUM.

Morbi infantum *curatu* ideo sunt difficiles, quia sunt *cognitu* nonnunquam difficillimi. Desunt enim multa signa *diagnostica* in infantibus, quae in adultis locum habent. Sic dolores, eaque, quae sentiuntur in corpore, infantes verbis nequeunt exprimere. Eodem ex capite *ars veterinaria* difficilis est admodum. Illud commodum tamen habetur, quod tanta morborum *varietas* in infantes non cadat, quemadmodum in *adultos*; hinc saltem minor est numerus morborum infantilium.

Peculiaris dexteritas requiritur ad morbos infantum sanandos; et si ulla medicinae pars exercitio et ipso usu disci debet, id certe praeprimis de medicina infantum verum erit.

Medici illi, qui ipsimet proles habent, aut habuerunt, ceteris paribus melius tractabunt infantum morbos.

Morbi infantum quidam sunt iam in utero materno, nobis *incogniti*, et hoc ipso incurabiles; sic nascuntur infantes *mortui* antea, adeoque morbidi quoque ante mortem. Item infantes hydropici etc. An etiam variolas pati possint in utero materno dubitatur. Negat *Cottunnius*, et, ni fallor, etiam *Hallerus*. Quidam vestigia volunt vidisse. Nuperus scriptor vo-

voluit, ut gravidis, etsi olim variolas passae fuerint, variolae inoculentur; putat enim foetum variolas hoc modo contracturum, et felicius multo superaturum esse, quam extra uterum maternum. Verum haec res nondum est decisa.

Videamus nunc origines morborum infantilium. Quidam a parentibus ortum trahunt, suntque *haereditarii*: negabantur male; certo enim extant: sic e. g. *phtysica dispositio*, item *haemoptoica diathesis*, *podagra*, *lues*, in sextam usque generationem observantur. Uti similitudo habitus corporis inter parentes et proles, ita etiam similitudo morborum datur. Magni momenti res est, ut parentes, et quicunque quondam inire matrimonium cogitant, se a certis quibusdam vitiis praestet immunem. Solus enim non plectitur, sed integra quaedam posteritas parentis vitia luit.

Alii morbi sunt *adventitii* ex multiplici origine: vel ob *mutationes corporis* diversa aetate, vel vero ab aliis causis mere accidentalibus. Quidam morbi *pueriles* aut infantiles dicuntur, quod etsi adultos etiam adoriantur, frequentius tamen corripiant aetatem teneram.

In exponendis infantum morbis eum ordinem servabimus, quem ipsa servat natura, dum infantem variis mutationibus necessariis varia aetate subiicit. Alios autem morbos adventitios ab aetate varia non provenientes exponemus arbitrario quodam ordine. Initium fiat a morbis recens natorum.

MORBI EXTERNI RECENS NATORUM.

In recens natis dantur *luxationes*, *fracturae*, *atresiae*, *contusiones*, *tumores a difficili partu etc. contusio a forcipe*.

Monstra matri non exhibenda sunt.

ASPHIXIA.

Infantes *apparenter mortui* in difficili partu: duplex tunc status; vel enim est *vera* debilitas, vel *spuria*.

In *primo* casu frictio abdominis, dorsi, plantae; balneum semivinosum; spiritus cornu cervi; calor.

In *secundo* casu emissio sanguinis per funiculum, et tunc demum priora remedia.

De ligatura funiculi nil dicam. Solum id addo, monere quosdam, ut sanguis ex funiculo penitus exprimatur, priusquam ligetur. Quidam in eo sanguine quaesivit variolarum originem. Alii ideo, et forte meliori iure, expressum volunt e funiculo sanguinem, ne ibi loci ulceratio, sugillatio etc. oriatur. Alii in eo sanguiue quaerunt icteri causam, sed male.

Balneum pro recens natis novimus fieri ex aqua et pauxillo saponis; subinde aliquid vini addi in debilibus.

LACTATIO.

Infantes 6 — 12 horis a partu uberibus admovendi sunt; matre videlicet aliquantum refocillata. Male differtur prima lactatio ad plures horas. Male lac serosum matris infanti negatur; est enim purgans, et infans indiget purgante ob meconium.

Obli-

Obligationem lactandi habent matres, 1) quia plus humorum conficiunt, quam indigeant; 2) quia male multantur a febre lactea; 3) quia multo felicius puerperio defunguntur lactantes; 4) quia lochia tam diuturna, et inde oriundum fluorem album non patiuntur, unde tanta in abortum proclivitas enascitur; 5) foetui lac matris omnium maxime convenit, quod initio tenue et purgans est, deinde, valentiore ventriculo effecto, magis est nutriens.

At vero subinde sunt impedimenta lactandi. Sunt 1) vel ex parte *matris*, vel 2) ex parte *infantis*.

Ex parte matris sunt: 1) *cacochymia manifesta*; nam levius humorum vitium commode fertur. Lac matris etiam minus bonum proli magis conducit, quam lac *melius*, sed *alienum*. Matres febre acuta laborantes vidimus suas proles absque noxa lactare. 2) Morbi ex *vera debilitate*, et humorum bonorum penuria orti lactationem prohibent. Verum multo rarius hae rationes obtinent in foeminis nobilioribus, laute pastis, otiosis, et *spuria* solum debilitate aegrotantibus. Metuunt ne flos iuventae et pulchritudo faciei deteratur a lactatione; verum plus nocet febris lactea, et noxae ex ea oriundae, quam lactatio. Metuunt ne vacare spectaculis, noctu tranquille dormire nequeant. Verum infans aliquantum robustior non semper sugit, noctesque plerumque quietas agit. Remitto vos ad *Rosensteinium* et *Zückertum*, qui fuse ea de re egerunt.

Multo frequentius adsunt morbi topici lactationem prohibentes: scilicet *papilla deficiens*, *intropressa*, *nimium parva*. Eiusmodi vitia in foemellis animalium vix unquam observata sunt. Hinc videntur provenire a nostra vivendi, aut potius nosmet vestiendi ratione. Usus thoraculorum et ligaturae mammarum hos defectus papillae inducunt. *Deficiens* curari nequit, *intropressa* potest tempore ultimo graviditatis extrahi suctione, cucurbitula etc. Habentur hinc inde foeminae ad mammas exsugendas destinatae. Debent esse ore *mundo*, quod prius aceto et melle, et aqua elui debet.

Aliud sugendi impedimentum est mamma nimium repleta, tunc enim introtrahitur papilla. Tunc subinde aliquid sanguinis aut seri sanguinolenti exugitur, deglutitur, et ab infante revomitur. Hinc vomitus cruentus recens natorum vanum terrorem incutit.

Caniculi mammas exsugentes nondum sint trium septimanarum. Prodest in tumore dolentis mammae fotus ex sapone veneto et lacte.

Impedimenta lactationis ex parte infantis sunt: 1) tumor faciei et labiorum ob partum facie praevia; 2) luxatio maxillae ex eadem ratione, tunc autem saliva fluit copiosa; 3) nares obstructi ex prima conformatione, muco etc. 4) lingua palato quasi adglutinata; deprimi tunc potest spatula; 5) linguae froenulum nimis longum; male hoc froenulum *omnibus* scinditur. Infantes, qui digitum immissum apprehendunt, etiam papillam possunt apprehendere, et sugere. Periculosa esse potest

test operatio ob haemorrhagiam, ob linguae replicationem, retractionem; 6) lingua ad latus adcreta; tales separatione non facta possunt suffocari; 7) labium leporinum cum vel sine fissura palati; 8) sola palati fissura absque labio leporino.

Si nutricem habeant infantes, danda sunt eccoprotica ex rheo etc. Subinde utiliter vomunt. Enema. Meconium relictum malum. Subinde icterus accedit; non periculosus: relinquendus, solum rheum sufficit. Nutrice opus est subinde. At considera 1) animi characterem, temperamentum, et mores probos; 2) aetas, inter 2 et 3 annum; 3) cutis nitida, absque cicatricibus, absque efflorescentiis; 4) lac argenteum, inodorum, non salsum, sed dulce, tenuius, facile aqua diluendum, oculum non laedens. Recens puerpera; 5) victus communis, non flatulentus, non spirituosus; 6) exercitatio; 7) an noceant menstrua, an conversatio cum viro? 8) mammae exsugendae, non emulgendae; 9) ira, terror, etc. absint; 10) cavendum, ne nutrix theriacam proli det.

FRAUDES NUTRICUM.

1) Dicunt se primiparas, sanas, nuptas; 2) ante visitationem novum indusium induunt; item spongiolam pudendis imponunt, pus absorbentem; 3) lacte se dicunt abundare, cum vix aliquid sit: emaciantur tunc infantes, clamant noctu, et clam aliis nutrimentis infarciuntur; 4) in lectum proprium assumunt, ibi aut suffocantur, aut proiiciuntur, aut delabuntur; 5) arcte fasciant, cunis valde agitant, ut vertiginosi et soporosi evadant;

6) theriacam propinant; 7) morbos dissimulant.

CURA INFANTIS ABSQUE NUTRICE EDUCANDI.

1) Detur eccoproticum ad expungendum meconium; 2) lac dilutum ita, ut partes duae sint lactis, pars una thee holandici, vel infusum scabiosae; tandem lac meracum. Lac caprillum fere semper potest levi pretio haberi. Lacti aliquid saponis veneti admisceri subinde debet; 3) tandem dilutissimae pultes, ex media parte lactis, aquae, et ex tosto pane albissimo, aut pane biscocto parandae. Pultes aliae, scilicet ex farina paratae, non concedendae, aut saltem ante medium annum vitae omnino non. Sintque hae dilutissimae, non ad flammam, sed pone ignitos solum carbones parentur. Iuscula carnium incocto pane biscocto. Panatellae perquam tenues.

Cunae, utpote portatiles, concedi possunt, aut debent. Aliquis motus prodest, nimius vero reddit vertiginosos. Infans non sit in lecto nutricis; saepe suffocatur, nisi exiguum velis lectum ita collocare, ut cubans nutrix aut mater possit illico elevare infantem; id subinde necessarium est, si scilicet infans tussi convulsiva laboret.

Seligatur amplum cubiculum, parva enim aëris vitium faciunt citius.

Laxa fasciatio admitti potest, forte debet; vix enim alia ratione poteris contegere, et ab aëre rudi defendere infantem, aut illum portare. Damnandus solum est abusus. Argumenta *Roseusteinii*, *Zückerti* sunt solum contra nimis arctam fasciationem. Libertas aliqua brachiis est concedenda.

Balnea

Balnea frigida infantes nostri non ferunt; insanum esset consilium recens natum infantem immergere aquae frigidae balneo. Valentiores infantes, aestivo tempore, sensim sine sensu assuefieri possunt aquae recenti; attamen ita, ut non imponantur balneo; prodest enim magis lotio et frictio; ablutio corporis manu fricante facienda.

ALVUS RARA.

Frequens morbus, primis saltem septimanis, est alvus rara, difficilis; ob lac spissius, ob pultem ingestam. Saltem bis intra 24 horas alvus poni debet. Sollicitatur oleo, iusculo salito; suppositorio, ubi radicula petroselini, vel vero suppositorium ano immittitur. Alvus constipata morbo cuidam occasionem praebet, a medicis vix, et imperfecte descripto, scilicet, *convulsionibus internis* (*die stillen Fraissen*). Morbum hunc inter nostros infantes frequenter vidimus, quem nunc describam. Iacent ferme immobiles, absque vagitu, oculis immotis, semiapertis, obversa aliquantum parte alba. Subinde levissime terrentur, si manu contractes aut apprehendas. Alvus morosa manet, aut penitus suppressa per 2, 3, 4 dies; ita semisoporosi manent, et moriuntur. Sanantur, 1) si *sponte* frequenter vomant; 2) si alvus enemate, purgante moveatur; 3) si oxymelle squillitico, seu etiam syrupo emetico ad parvum cochleare dato vomitionem concilies. Frequens morbus, et frequens inde mors.

EXULCERATIONES.

Exulcerantur infantes recens nati ob foeces frequenter missas, ob frequentem quo-

que mictum. Inde dolor et inflammatio, ac noctes turbatae. Prodest loca excoriata semine lycopodii inspergere, item creta coloniensi. Quod si excoriata serpant latius, addi aliquid aluminis crudi potest hac ratione, ut unciis ij. cretae coloniensis addatur drachma j — ij. aluminis crudi. Cave ne *cerussa* inspergas plagam excoriatam; nocet enim hoc remedium plumbatum, cuius tenuissimae particulae in aërem avolantes in os et fauces inspirantis infantis attrahuntur. Plumbata quoque remedia externe adplicata per plagam quandam ampliorem nocent. In adultis, in plaga non lata admitti possunt et debent.

HERNIAE.

Infantes facile *hernias* contrahunt, si frequentia tormina patiantur, et diu, et valide clament. Herniae hae recens natorum sunt aut *inguinales* aut *umbilicales*. Reliquae species vix locum habent. Scies autem herniam esse: 1) si inter clamores solum inguen tumeat; 2) si corpus elapsum molle sit, et reponi possit; 3) si testiculus illius lateris iam sit in scroto. Herniae infantum plus habent terroris pro parentibus, quam periculi. Facile reponuntur ob partium omnium mollitiem; raro aut vix unquam incarcerantur.

Cura: 1) Causam vagitus et clamorem tollere oportet, cum hernia solum inter clamandum appareat. Haec clamorum causa tollitur, si tollas causam dolorum, causam torminum, in quam inquirere oportet; 2) alvus facilior solito debet semper esse; 3) splenio adposito debet hernia retineri. Brachieria locum non habent, nisi sint iam ea aetate, ut

pos-

possint ambulare, et soli incedere; nam 1) frequentissime se commingunt, hinc plurima deberent brachieria ad manus esse; 2) brachieria premendo laedunt, et artuum incrementa impediunt; 4) locum herniosum oportet vino rubro, cui salvia est incocta, fricare, fovere; aut aqua calcis. Hac methodo curantur, et ampliatus abdominis annulus iterum clauditur, prout corpus infantis crescit et augetur. Universim, spes est herniam curari adhuc *radicaliter* posse, si modo reponi et reposita retineri queat, et si corpus aegri nondum ad debitam staturam pervenerit. Quo iunior aetas, eo maior spes sanandae herniae. Herniae *umbilicales* ex eadem causa oriuntur, eadem methodo tolluntur.

APHTAE.

Aphtae infantum sunt aut exiguae oris omnis *pustulae*, aut exigua *ulcuscula*. Plerumque primo sunt pustulae, quae deinde abeunt in ulcuscula.

Locus et *sedes* aphtarum os omne internum, lingua, gingivae, fauces, buccae internae, palatum, tonsillae, aesophagus, ventriculus, intestina, item aspera arteria, et ipse pulmo dicitur aphtis obnoxius esse. Verum alia quoque loca aphtis infestantur in infantibus, scilicet nates, et in foemellis quoque pudenda. Ubi aphtae sunt, lingua plerumque obducta reperitur crusta albescente, quam foeminae ortam putant ex lacte coagulato in ore restitante, hinc illum omni molimine, et non nisi cum magno infantis cruciatu conantur abradere, detergere.

Coloris sunt hae aphtae plerumque albi, aut albi cum modica flavedine. Gangraenescunt tamen subinde, et cinereum colorem contrahunt, malo cum eventu.

Cito debemus mederi, nam 1) continuum dolorem aphtosi infantes sentiunt, unde vagitus et noctes insomnes, qua re et infans ipse, et nutrix affligitur; 2) aphtosus infans mammam aversatur, et sugendi laborem non fert; hinc sitim et famem patitur, emaciatur.

Praeterea aphtae non tantum ut *causa* horum enarratorum morborum, sed etiam ut effectus alterius cuiusdam morbi metuendae sunt. Plerumque enim aphtae ab acescente et acri colluvie lactis ingesti, aut ingestae pulticulae oriuntur, quae colluvies febrim *lactentium saburralem* omni nota inducit.

Aphtis obnoxii sunt illi imprimis: 1) qui lac spissum sugunt; 2) qui pultes commedunt; 3) quibus alvus tardior est.

Cura duplex est: 1) *nutricis*, cui diluentia decocta danda, potus theati, ut lac spissum reddatur tenuius; 2) *infantis*, cui duplex quoque cura est adhibenda: oportet enim et locum ipsum aphtosum curare adstringentibus, melle rosaceo, roob dianucum etc. Vix aliquid tam prompte medetur, quam aqua *aluminosa*: si videlicet e. g. aquae stillatitiae salviae addideris aliquid roob dianucum, atque aliquot grana aluminis *crudi*. Remedio hoc fauces, lingua, etc. penicillo debent frequentius inungi, et humectari. Plus haec prosunt, quam remedia emollientia adeo laudata, ut sunt mucilagines seminum cydoniorum, psyllii etc. Quidam Angli commendant solutionem sachari

satur-

saturni; verum periculosum est, ne aliquid ex tali solutione infans deglutiat. Mundities, et pulvis ex creta et alumine crudo confectus aphtas pudendorum et podicis sanabunt eodem modo, quo earundem partium excoriationes.

Haec prima curationis pars: restat et altera explicanda. Aphtae internam et praeprimis saburralem originem habent; hinc eccoprotica ex rheo, magnesia nitri, sapone veneto, et magis adhuc syrupus emeticus iuvant.

TORMINA.

Primis diebus aut septimanis infantes doloribus colicis, seu *torminibus* cruciantur. Est is communissimus morbus, et multorum aliorum malorum origo. Signa torminum sunt: clamant saepe, et repente; artus inferiores versus abdomen retrahunt, agitantque; insomnes; risus inter dormiendum, et terrores; repente evigilant cum vagitu; subinde avidissime incipiunt sugere, mox vero iterum mammas aversantur; foeces aut actu virides, aut paulo post, biliosissimae, caseosae, pituitosae; flatus multi acescentis odoris, uti etiam est odor foecum; vomunt frequenter; alvus aut constipata, aut diarrhaeica.

Subiacent, 1) tenuiores huic morbo; 2) nutriti lacte spisso, acescente; 3) pulte farinacea farcti.

Curantur: 1) si materies acris et acida invertatur, sapone veneto, lapidibus cancrorum, magnesia; 2) si obtundantur oleo amygdalarum vitello ovi subacto; 3) si educatur emesi, alvo mota, enemate; 4) si palliative agatur, si nempe in partialibus convulsionibus

a tor-

a torminibus adhibueris emollientia enemata, cataplasmata emollientia et anodyna simul, si balneo imponas. Dando etiam interna nervina e. g. unam alteramve guttam spiritus c. c. simplicis, vel succinati; 5) roborando.

In curandis torminibus infantum nota sequentia:

1. Solis absorbentibus vix aliquid efficitur. Addenda talia sunt, quae simul acescentem saburram blande educant.

2. In summis torminibus balneo imponendum infantem esse, qua re saltem induciae fiunt, usque dum curam curativam et radicalem possis habere.

3. In usu olei amygdalarum ad sopiendos abdominis dolores non esse diu pergendum, cum etsi oleum pro hic et nunc acidam saburram obvolvat, tamen paulo post et ipsum corrumpatur, et sordes ventriculi augeat. Hinc oleosa sunt solummodo pallians remedium in infantibus, et vim ventriculi tenelli deiiciunt.

4. In purgandis ventriculis infantum praeplacere semper emeticum prae purgante, sed dandum per epicrasin: e. g. syrupi emetici parvum cochlear.

5. Periculosa esse remedia opiata in torminibus infantum, et vix unquam adhibendum. Moriuntur enim inde convulsi et apoplectici.

6) Praestare pulveribus uti potius diu asservandis, quam mixturis, quae cito corrumpuntur. Pulvis egregius infantum paratur e. g. hac ratione.

R. Lapid. cancror. unc. ß.
Sach. albi dr. iij.
Sapon. venet. dr. j.
Extract. rhei gr. xx.
Pulv. foeniculi dulc. gr. j.
(vel additur elaeosachar. aptum.)
M.

Pulveris huius exigua dosis e. g. cochleare coffeanum acceptum lacti commiscetur, datur infanti. Torminibus vero sopitis reponitur in usus futuros.

7. Nutrimenta quoque mutanda esse: sic lacti pauxillum Thee hollandicum addendum, ut diluatur. Pultes seponendae. Nutrici olera, leguminosa sunt subtrahenda, exercitium corporis iniungendum. Ipsum quoque nutricis lac medicatum reddi debet datis antacidis e. g. magnesia, lapidibus cancrorum, addito quodam carminante elaeosacharo. Sal tartari in mixtura concentrata. Ostracodermata.

CONVULSIO.

Convulsio plerisque infantum morbis supervenit; plerique moriuntur convulsi. Appellantur *convulsiones*, *Fraissen*, *Zuckungen*; apoplexia infantilis, eclampsia, epilepsia infantum, prout vel totum corpus, vel pars solum occupatur.

Subiecti sunt his morbis teneriores prae robustis, et qui nutrice aut aliis alimentis aluntur, prae his, quos mater lactat.

Omnis ferme convulsio causam habet in primis viis sitam, paucis exceptis.

Morbus semper est periculosus, utut multi evadant. Incertissima prognosis.

Prae-

Praecedunt: risus inter dormiendum, et in somno terrores, inquies, febris, dolor, clamor, oculorum lusus, conversio.

Per periodas certas, incertas redit. Bina habet stadia.

Causae sunt diversissimae; patet hinc non posse dari remedium universale.

Oritur convulsio: 1) a meconio retento: Clysmata ex lacte et oleo cum pauxillo sachari; 2) ab alvo quandocunque difficili: enemata: oleum amygdalarum cum mannato syrupo; obstructionem tollit oleum hoc, sed debilitat eius longior usus; 3) tormina frequentissima sunt convulsionum causa. Tunc autem ea valent, quae in priori capite dicta sunt. Tormina sunt potissimum aut a *qualitate*, aut a nimia *quantitate lactis:* oleosa ano iniecta et ore assumpta: oleum cum purgante syrupo, cataplasmata, balnea: lac corrigendum; 4) terror, ira, aut grave aliud pathema in nutrice: habentur multa exempla. Subinde assumpto tali lacte subito convelluntur; subinde utiliter in vomitum aut diarrhaeam incidunt. Fit id praecipue ubi catamenia patiuntur. Hoc in casu et enemata anodyna, et oleum ore haustum, aut emesis, aut purgatio, sicuti in assumpto veneno, prodest. Facta evacuatione syrupus papaveris albi, aut guttula laudani liquidi *Sydenhami*. Lac nutricis emulgendum. Danda remedia pacantia, castoreata; liquor c. c. succin. enemata, et quies animi conciliata; 5) rheuma, achores, efflorescentiae etc. retropressae: prosunt balnea, moschus; vesicantia, utut adhibeantur, nollem unquam: vidi tristem casum; 6) quilibet

fe-

febrilis morbus incipiens primum paroxysmum saepe orditur a convulsione; febris tertiana, quartana, item febres continuae: e. g. catarrhosa, pleuritica, gastrica quaecunque; morbilli; prae omnibus aliis variolae, furunculus, abscessus futurus.

Cura debet esse, 1) *pallians*, nervis aliam inducendo dispositionem; hinc enemata, balnea, aut spiritus cornu cervi simplex aut succinatus ad nares, in mixtura, ad umbilicum. Saepe iuvat exportatio ex calido cubiculo in frigidum, maxime in convulsionibus sub variolarum eruptione; emeticum; 2) *cura indirecta*, ubi corpus aegri ita disponis, ut convulsio minus noceat. Convulsio plenos et succulentos infantes facilius perimit; moriuntur ex apoplexia sanguinea. Hinc sanguinem detrahe ex brachio, vena iugulari, hirudine ubicunque e. g. retro aures, ad tempora, ad brachia adplicata. Laetor, me plures infantes hac methodo servasse. Convulsio subinde hac quidem ratione non sanatur, attamen id obtinetur, ut facta depletione ea ipsa convulsio minus noceat. Subinde autem ipsa depletio mutationem inducit in corpus infantile convulsioni contrariam.

8. Opium assumptum, aut semina papaveris contrita; aut seminum, capitum, foliorum papaveris infusum, decoctum. Talia potui et cibo miscentur. Pereunt ex apoplexia sanguinea. Hinc venae sectio et evacuans per os.

9. Convulsionum causa saepe est dentitio *difficilis*. Saepe erumpunt dentes, quin vel levissime aegrotent. Nihilominus morbus hic est

in-

inter omnes infantum morbos maxime letalis, ita ut pleraque funera sint ex dentitione difficili.

Symptomata: Inflammatoria intumescentia gingivarum, malarum, tonsillarum, parotidum. Ophtalmia, genarum rubor, vomitus, termina, tenesmus; diarrhaea viridis, copiosa. Sunt autem haec ventriculi et intestinorum symptomata *sympathica*, *nervosa*, non *saburralia*. Foeces virides decipere possunt. Subinde alvus pertinaciter clausa; urinae plena suppressio ab eadem sympathia. Tussis veluti catarrhalis, vespertina exacerbatio, vigiliae. Decubitus in lecto difficilis; somnus facilior extra lectum in ulnis nutricis. Convulsiones taciturnae. Sopor apoplecticus; inde remanens saepe paralysis per omnem vitam.

Ex infantibus difficulter dentientibus duae partes sanantur, una perit.

Alia minus obvia dentientium symptomata sunt: caecitas, surditas, aphtae oris, abscessus in loco dentis exitum quaerentis, gangraena.

Ratio symptomatum patebit ex natura febris dentientium, quam nunc explicabo.

Dens exitum quaerens gingivas *tendit*: tensio dolorem et *febrim* excitat; pertinet haec febris ad febres *inflammatorias*, cum *inflammatione topica* gingivarum. Omnia symptomata sunt aut *inflammatoria*, aut *spasmodica*, aut ex *utriusque mixta*.

Prognosis: 1) tertia pars difficulter dentientium perit; 2) rachitici difficilius dentiunt; 3) ubi multi simul dentes prodeunt, peius habent; 4) plethorici, irritabiliores colluvie acri

pri-

primarum viarum laborantes peius habent; item praepingues, obstipati, soporosi: hi enim facile convulsi pereunt.

Indicationes sunt: 1) inflammationi mederi; 2) humorum motum a capite derivare; 3) nervos irritatos componere.

Primum obtinetur hirudine retro aures, ad maxillam externe. *Sydenhamus* omnibus praefert venae sectionem. Verum tamen difficulter secatur. Praestat hirudo; fit topica venae sectio. Item dando victum tenuem, lac sanum matris aut nutricis, aut vero serum lactis dulce.

Derivatio a capite obtinetur enematibus. Purgantia cautius danda, utpote febri faventia.

Nervi componuntur auferendo stimulum irritantem: syrupo papaveris albi; guttula laudani in mixtura; liquore c. c. simpl. aut succin. Item emollientibus, refrigerantibus ad locum inflammatum gingivae. Sectio gingivae fieri debet non in principio dentitionis, sed ubi dens iam elatus tuberculum facit.

Cave ne febrim augeas antispasmodicis maturius datis. Optimum saepe antispasmodicum est venae sectio, hirudo.

Non facile vesicantia ponenda, potius autem emplastrum rubefaciens, scilicet de galbano crocatum: sinapismus.

In sectionibus cadaverum deprehenduntur aquosae collectiones in encephalo.

Patet utilitas diarrhacae, salivationis.

10. Dolor quilibet gravior, et undecunque ortus, *rheumaticus*, *dysentericus*, *pleuriticus*, *a calculo*, dolores venerei infantum.

11. Inanitio ex *vomitu*, *longa diarrhaea*, ob defectum nutrimenti, e. g. lactis.

12. Causa convulsionum sunt vermes. De vermibus peculiari capite agam. Interim haec nunc sufficiant. Haec causa, scilicet vermes, rarius teneriorem aetatem infestat. Plerumque vermes nondum observantur, nisi iam praeter lac matris aut nutricis alia assumant alimenta. Graves sunt convulsiones verminosorum; frequenter repetunt. Diagnosis praesentium vermium difficillima: adesse possunt absque sensibili signo. Paroxysmus solvitur iniecto lacte, absque *oleo*, *melle*, *sacharo*, quae tria vermes aversantur.

DIARRHAEA, SEU ALVI FLUXUS VARIUS.

Fluxus alvini frequentissime infantes exercent. Mox a nativitate raro hic morbus observatur; sunt enim tunc potius obstipati. Diarrhaea non debet confundi cum alvo naturali infantum. Serius accedit; etsi solus rarius occidat, tamen ansam praebet pluribus aliis morbis.

Alvi fluxus oritur: 1) a vitio matris vel nutricis. Lac matris, quae purgans hausit, menstruantis, iratae, territae, ieiunae, diarrhaeicae, mox pastae, nimiam lactis copiam ingerentis, lac nutricis recenter puerperae, colicam actu patientis. Emendari vitium in nutrice debet.

Secunda species est diarrhaeae saburralis: lac acidum, pultes, saburrae aliae, etiam biliosae in natu maioribus. Iuvant evacuantia primo, dein tonica. Hinc primo oxymel squilliticum; syrupus emeticus; ipecacuanha; pur-

gans.

gans. Dein vero mixturae roborantes ex aquis leviter aromaticis; balsamum embryonum, saxonum; oleum nucis moschatae pressum; theriaca andromachi per modum scuti stomachici adplicantur. Herbae aromaticae vino incoctae et in sacculis inclusae ventriculo adplicantur. Frigida infusio corticis peruviani, seminum foeniculi.

Tertia species a laxitate: sic e. g. 1) post dentitionem saepe perdurat *longa et emacians* diarrhaea, ob nimis diuturnum humorum salivalium affluxum; 2) quaecunque *alia* diarrhaea neglecta abit in hanc speciem, scilicet habitualem: haec est *aquosa*, *indolens*. Roboranda sunt intestina aqua *ferrata*, infuso corticum aurantiorum, cinnamomi. Victus siccior; frictiones abdominis spirituosae, aromaticae, scuta superius commemorata; avocandi humores aliorsum, ad cutem, balneo, etc.; 4) quarta species est, scilicet a *perfrigeratione*, ubi perspirabile non ad nares, non ad pulmones, sed ad cavum intestinorum defertur. Iuvat cataplasma calidum, subaromaticum, subspirituosum ad abdomen; theriaca; potus diaphoreticus; 5) *dysenteria* differt a priori specie; nam in dysenteria materies ad ipsas membranas decumbit, non vero ad cavum intestinorum. Emollientia externe et interne. Balnea; 6) *diarrhaea* dentientium non quidem *difficulter*, attamen ita ut dens dentem tarde insequatur. Tunc vero moderanda; 7) *diarrhaea aphtosorum*. Accusantur aphtae totum canalem obturantes, aut *vascula resorbentia deleta*. At vero videntur et aphtae et diar-

rhaea ab eadem origine nasci, scilicet a colluvie acri primarum viarum.

VERMES.

Vermes puerilem aetatem prae infantili exercent. Non tamen sunt immunes infantes.

Probabilius vermes pertinent ad morbos *acquisitos*, non *connatos*.

Plerumque lactentes vermibus carent: dixi plerumque; nam habentur exempla vermium in lactentibus reperta. Sed quomodo? ovula fors cum aëre deglutita inter dormiendum.

Vix ulla pars corporis est, quae vermes non habuerit: sic 1) in encephalo; in historia academiae regiae scientiarum; 2) in auribus; in actis N. C. 3) in palpebris; 4) in sinubus frontalibus et maxillaribus. Excitata est subinde dira cephalaea ab hac causa. Sic refert *Boerhavius* exemplum virginis odores florum perditer amantis, et dormientis penes horreum saepius. Profuit fumus cinnabaris accensae, et attractum tabaci decoctum. Flores naribus admoti; somnus humi, in sylvis, pratis, messorum etc. ansam huic morbo dant; 5) in canibus et cervis sub lingua inventi. 6) In corde. *Senac* relatum sibi refert a praestanti medico, se glomeres vermium reperisse in cavis cordis canum. Male refutantur hae observationes, ac si visae fuissent solum *polyposae* concretiones, 7) in pericardio teste *Baglivio*, 8) in pulmonibus *Ruyschius* et *van Daevern*, 9) in hepate creberrime. Morbus est maxime ovium; item teste *Ruyschio* in bobus, vitulis, 10) in mesenterii equini arteria

dila-

dilatata *Ruyschius* innumeros vermiculos; idem in saccis aneurismaticis arteriarum, 11) in splene et renibus frequenter, tam in homine, quam cane *Ruyschius*, 12) in vesica urinaria *Schenkius*, 13) in vesicula fellea, 14) in utero *Bianchi*, 15) frequenter teste *van Daevern* et ipso *Hippocrate* sunt ascarides in vagina uteri, 16) in ipsa ossium medulla teste *Ruyschio*, 17) in saliva A. N. C., 18) cum sudore exereti A. N. C. 19) cum urina excreti, *Ruyschius*, 20) cum materia gonorrhaeica, *Bianchi*, 21) in ulceribus frequenter, 22) sub cute, apud Iamaicenses. Vena medianensis.

Vermes morbos pariunt diversissimos: pauperiores, immundiores, quaedam nationes, anni quidam vermibus prae aliis quibusdam obnoxii sunt; uti et animalia, pisces, canes, oves, aves etc.

Complures species vermium in humano corpore reperiuntur.

1. *Ascarides*, utrinque acuatae, parvulae, albae. Sunt in *recto*, *collo*, *vagina*: inde ardor, tenesmus ad alvum, lotium, fluor albus. Non est solus, sed semper copiosus hic vermis.

2. *Lumbricus teres*, similibus terrestri lumbrico, nisi quod ille annulo, seu ephippio careat: differt etiam in aliis a terrestri. *Raro* solus, tamen subinde solus repertus est in sectione cadaverum. Communissimi sunt; subinde in glomeres collecti alvum penitus obstruunt.

3. *Taenia*, eiusque variae species, seu vermis solitarius. Vermes cucurbitini sunt ar-

ticuli Taeniae cuiusdam speciei. Multas ulnas longus est; difficulter expellitur.

4. *Ascaris lumbricodes* saepe confunditur cum *terete*.

5. *Trichurides Raedereri*: tenuissimi vermiculi, et exacte filum, seu capillum referentes. Vidimus in collo. Frequentes sunt. An ab iis morbi, et quales?

Raro omnes quinque species una sunt in eodem corpore.

Morbos vermes faciunt multis modis: 1) *atrophiam*, si copiosi adsint, et pabulum suffurentur. Inde bulimos, leipothymia ieiunantium verminosorum. Inde cura palliativa per assumtum lac, 2) nocent ob nidum verminosum, seu *gluten*. Inde etiam atrophia ab obstructis vasis; febris vaga, mesenterica, 3) *copia*: nam glomeres faciunt, alvum obstruunt; 4) vermes mortui, et *excrementa* vermium nocent, 5) reptatu dolores, diarrhaeas, vomitus, colicas etc. faciunt, 6) effringunt subinde intestina. Sunt tunc vel in cavo abdominis, vel inter tunicas intestinorum.

Febrim novimus verminosam appellatam: hanc discutiemus, 1) dantur constitutiones verminosae, ubi febrientibus vermes secedunt. Sunt autem hae febres biliosae, putridae, malignae, petechiales. Seminium verminosum habetur tunc pro *epidemico*, et vermes statuuntur epidemici morbi causa. Fortasse tamen solum id verum est, epidemiam cadere facilius in antea verminosos. Secedunt subinde in acutis periculosis, in dysenteria gravi, 2) febris verminosa *spuria*, ubi solum *gluten*, et infarctus abdominis ea omnia ferme efficit,

quae

quae vermibus solent adscribi, 3) febris verminosa *vera*, estque haec iterum varia: scilicet aut mere *saburralis*, aut *inflammatoria enteritica* subinde etc.

Symptomata sunt: leves dolores colici, per vices, inopinanter redeuntes, subito cessantes. Sputatio frequens, et salivae assiduus effluxus (id etiam subinde est in hystericis); anima foetens, pruritus narium, nausea, bulimos, cardialgia; alvus inordinata, modo diarrhaeica, modo suppressa; tenesmus absque nota causa, et repentinus. Abdomen tumidum, et artus emaciati. Assidua sitis; vaga lassitudo, tristitia. Faciei color saepe mutatus, plumbea hypopia; oculorum album triste, plumbeum; oculi in somno conniventes: insomnia et convulsiones leves inter dormiendum; dentium stridor; urina lactea; palpitatio cordis, lipothymiae; convulsiones verae et perfectae; somnus productus, profundus. Sudores repente orti et frigidi, febres mali moris; caecitas, surditas, paralyses. Gingivae erosae, singultus. Pulsus parvus, frequens, inordinatus. Tussicula sicca; phantasmata. Secessus muci verminosi. Circa umblicum, aut etiam alibi in abdomine abscessus et suppuratio, unde vermes prodeunt. His praemissis videamus remedia.

Diaetetica in verminosis sunt sequentia: cerevisia amara, lupulata, cui incoqui subinde potest semen santonicum. Lac, cui idem semen fuerat incoctum. Vinum absynthites. Modicum vini dulcis et austeri confert etiam infantibus. Panis cum melle, et semine santonico, vel semine tanaceti. Cochlearia, nastur-

tium aquaticum, hortense, cum oleo commestum (*Salat*) cibi cum allio, porro, raphano, brassica fermentata; salitae, fumataeque carnes. Aromata; praecipue nuces conditae; cortices aurantiorum conditae; zinziberis radix condita. Victus durior, spirituosior, prae molli; exercitatio et motus. Nocent pinguia, aquosa, tepida, farinacea, legumina pastae quaecunque.

Prosunt remedia varia: 1. *digestiva*, uti sunt salia media; haec autem in initio solum; non diu continuentur. Subiungatur *purgans*, dein amara, stomachica. Saturatissima salis culinaris muria choleram facit *salutarem* in homine verminoso. Oleosa saepe bona sunt, at non diu continuentur. Omni mane sumat olei olivarum et succi citri aa. unc. ß. sachari, dr. j. M. Item: R. olei nucis iuglandis, vini Tokaini aa. unc. ß. Liquoris visceralis; essentia corticis peruviani; elixir stomachicum. Argentum vivum depuratum ad dr. j. potest cum lacte deglutiri ex vitro, non ex metallo. Cave ne in asperam arteriam decidat hydrargyrum. Decoctum hydrargyri, scilicet: Coque unciam j. hydrargyri in s. q. aquae in vase terreo per ¼ hor. libr. j. Mel misceri potest; potest potari, et ano iniici. Item:

R. Rad. gram. unc. ij.
Cortic. aurant. siccator. dr. j.
= — cinnamom. gr. viij.
Coque cum Mensur. ij. aquae.
Ad remanent. lb. vj.
Dein infunde per 24. h. in loco tepido argenti vivi unc. ij. vase clauso: decantato liquori adde:

Mel-

Mellis mercurial, aut rosac. unc. ij.

D.

Quotidie libram unam absumat.

Semen urticae in lacte vel aqua coctum, et potum prodest. Aquae calcis et lactis recentis aa. partes aequales, superbibendo cochleare coffeanum vini Tokaini.

Succus betulae ad unam aut duas phialas potus, donec purget. Aqua pyrmontana. Aquae martiales aliae, naturales artificales.

R. Limatur. ferri non rubig. unc. iij.
Crem. tartar. unc. vj.
Coque cum Mensur. ij. aquae commun. vase terreo per 4. hor.
Colatur. per linteum facta asservetur in lagenis probe clausis.

Extractum corticis viridis nucum iuglandis immaturarum.

R. Extract. cortic. virid. nuc. iugland. unc. ij.
Aquae cinnamom. dr. vj.

Solve.

Bienni infant. gutt. 50.

Dein purgato.

Lac recens potum et ano iniectum tumultus verminosos sopit. Item petroleum illitum dolenti plaga abdominis, et assumptum extractum absynthii ad magnitutinem fabae cum pauxillo vini.

Subinde emeticum prae purgante convenit, etiam in febre verminosa, cum et sine vermibus.

Annuo infanti datur granum unum radicis ipecacuanhae cum sacharo tritae.

Melius est adhuc infusum vinosum radicis ipecacuanhae, cum syrupo.

Decoctum mercurii vivi addito oxymelle squillitico.

Aqua benedicta Rulandi annuo infanti ad guttas 5. 8. 10. Sulphur auratum tertiae praecipitationis.

Purgans ex una parte mercurii dulcis, et tribus partibus sachari, optimum est; ter quaterve per vices repeti potest: alias excitat salivationem. Nonnunquam omnino non pelluntur lumbrici, nisi assumpto mercurio dulci ad salivationem usque.

Purgans ex sale polychresto, ialapa, et semine santonico, vel radice valerianae sylvestris cum oxymelle squillitico.

Fel taurinum inspissatum, in vino Tokaino solutum, adiecto sacharo.

Inunctio abdominis spiritu vini camphorati, felle taurino, petroleo; unguento martiato, de arthanita; oleo laurino.

Cortex peruvianus. Emulsum camphoratum. Flores sulphuris cum pulvere ostracodermatum. Limatura martis sola, cum aromatibus; 20. 30. 40. grana limaturae stanni purissimi anglicani.

Gummi ferulacea. Asa. Myrrha. Saponis usus internus. Purgantia opio maritata. Radix filicis maris, adiuncto purgante, contra taeniam.

Ascarides solis enematibus tolluntur. Muria salis; aqua mercurialis; aqua adiecto felle taurino; fumus nicotianae; decoctum nicotianae.

Aqua

Aqua frigida. Lac allio, cepa alteratum. Suppositorium ex sapone veneto, lardo. *Van Doevern*, *Rosenstein*, *Tissot*.

ATROPHIA.

Atrophia defectus nutrimenti; subinde idem est cum *morbo verminoso*, ita ut verminosi simul sint atrophici. Subinde vero atrophia adest absque vermibus.

Symptomata atrophiae sunt; emaciatio artuum omnium magna; cutisque arida, rugosa, imperspirabilis: sceleton merum. Pallor faciei, livorque, tristitia, morositas. Interea adest tumor totius abdominis, valde prominentis, tympanitici; subinde nodosi, duri. Calores interni; febricula. Alvus sicca; appetitus subinde magnus rerum frigidarum, siccarum.

Causae. Sedes mali in abdomine primarium est. Indigestibilium, farinaceorum, crudorum, acidorum, austerorum esus. Lac vetustum; pultes; panis crudissimus, secundarius; fructus immaturi, acerbi. Vermes, et gluten verminosum.

Inde vasorum minimorum, lacteorum; itemque glandularum infarctus.

Difficillimus curatu morbus est. Diaeta apta, et medicamentosa fieri debet. Prosunt ergo diaeta *humectans*, *refrigerans*, *solvens*. Iuscula pullina, herbis incoctis, recenti taraxaco, chaerophyllo ec. tenuia emulsa; hydrogala. Balnea tepida. Frictiones abdominis, dorsi ec. cum oleo amygdalarum, adiecto spiritu salis ammoniaci; camphora item unguento martiato, nervino. Morsuli *Kunkelil.* Subinde lene purgans ex mercurio dulci; lene subinde emeticum ex oxymelle squillitico. Aër recens, campestris,

exer-

exercitium et motus corporis. Salis seignetti aut polychresti doses exiguae, quotidianae ex syrupo cichorei cum rheo sumendae. Taraxaci extractum, decoctum saturatum. Extractum chelidonii. Decoctum glandium (*Eichelkaffe*). Vina rubra, dulcia.

RACHITIS.

Atrophiae quaedam species est *rachitis* (*englische Krankheit*, *doppelte Glieder*, *unterwachsen seyn*, *Wechselbalg.*). Morbus omnium primo a *Glissonio* descriptus est. Ante annum 1612. in Britannia non observabatur; hinc inter *novos*, fortassis male recensetur. Frequentior est in locis et regionibus paludosis, frigidioribus simul et humidioribus.

Amat aetatem infantilem. Primum observatur circa tempora primae dentitionis; post nonum mensem usque ad annum secundum aetatis. Serius perraro accedit. Rarissima est rachitis adultorum. Rarissima quoque congenita.

Dividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Varii dantur gradus. Imperfecta est frequentissima. Item in *congenitam*, *acquisitam*; *infantilem*, *adultorum*.

Symptomata sequenti ratione sibi invicem succedunt: Incipiens emaciatio, cutis pendula. Abdomen elatum, versus hypochondrium praecipue dextrum. Caput mole maius, quam pro ratione corporis. Facies plena, sed pallida. Iugulares amplae. Articuli tument, et ossium extrema protuberant, maxime ad carpos. Frons *inaequaliter* protuberans, quod a nativa frontis protuberantia debet distingui. Suturae dehiscentes, unde capitis excedens moles.

Den-

Dentes flavi, cinerei, fusci, excedentes, difficulter de novo restituendi. Sternum prominens, costis autem intropressis ad latera. Costae ipsae latae, et circa coniunctionem ad partem cartilagineam tuberosae. Claviculae male curvatae. Dorsi spina pariter diversimmode incurvata. Protuberantes tibiae. Ossa emollita, et inde staturae imminutio. Ossium subinde friabilitas. Carnium musculosarum consumptio, laxitas, flacciditas, debilitas; hinc gradiendi impotentia. Febricula nocturna, deposcens. Respiratio in levi motu difficilis, tussicula humida, tandem asthma. Vox gravior, quam pro aetate. Ingenium plerumque praecox. Somnolentia. Voracitas. Obnoxii sunt haemorrhagiis, morbisque convulsivis. Statura pumila; pelvis irregularis. Simul verminosi sunt persaepe. Excrementa acidum spirantia; acidus halitus. Aestas amica. Haemorrhagiae non levantes.

Saepe accedit sero emphysema totius corporis, convulsio, mors.

A morte non rigent, diu calent, sanguis non coagulatur. Praegrande hepar. Glandulae mesenterii praetumidae. Defectus bilis in cadavere observatur.

Causae. 1. parentes debiles, exhausti morbis, olim aut nunc occulte venerei, seniculi, salivationem passi frequentius, molliter viventes, usi pauperrimo victu, 2. habitatio in loco humido, angusto, depresso; sordities. 3. lac vetustum nutricis seniculae, lac morbidae nutricis; nutrix scrophulosa, scorbutica, occulte venerea, cancrosa, melancholica, gravida. Item lac deficiens, pultes. 4. Morbi prae-

gressi

gressi infantum, tales praecipue, qui *diu* durarunt; tarda et morbosa dentitio cum longo alvi fluxu: hinc rachitis incipit potissimum post dentitionem; tussis convulsiva: longa intermittens; ablactatio, 5. usus acidorum, acescentium.

Curatio. Removendo causas. Habitatio in loco edito, cubiculo amplo, aëre lustrato fumis aromaticis. Motus, vectio in aëre sicco, calido; frictiones siccae, aromaticae. Abstinentia a potu theato, oleribus, pinguibus, farinosis. Diaeta siccior, aromatica, antacida. Iuscula, cum ovo sorbili. Iuscula ex cerevisa bene lupulata parata cum ovis sorbilibus. Carnes tenerae, sed tostae; panis biscoctus. Pro potu serviet cerevisia amara; subinde vinum austerum, aut etiam dulce; non autem acidum. Saturatum Coffée decoctum; radix rubiae tinctorum; cichorei, adiectis corticibus aurantiorum, et pauxillo seminis anisi stellati. Pro potu communi profuit aqua, ex qua nodus suspendebatur rheum et limaturam martis, pauxillum cinnamomi continens. Item guttae antacidae, alcalinae, uti cinerum calvellatorum drachmae duae in libra ß. aquae foeniculi solvuntur. Dantur quotidie guttae 20. 40. 60. 100. Item:

R. Sapon. venet.
Fellis taurin. inspissat. aa. dr. j.
Rad. ari scrup. ß.
Pulv. cinnamom. gr. vj.
Pulv. ostracodermat. unc. ß.
Pulv. cort. aurant. dr. ij.
M.
Ter die hora ante pastum cuspidem cultri.

Pa-

Parari etiam electuarium, pilulae, et mixturae possunt.

Praeter frictiones siccas et aromaticas, serviunt etiam frictiones et lotiones cum aqua frigida; corpore dein absterso et siccato subiungi frictio aromatica potest.

Secundariam non tolles, nisi morbo praegresso sublato. Sic sustuli rachitidem praemisso mercurio. Item:

R. Aquae cinnamom. sine vino.
— — cortic. aurant. aa. unc. ij
Extract gentian.
Felli taurin. inspiss. aa. dr. ß.
Salis tartari, gr. x.
M.

Decoctum glandium, corticis peruviani; essentia corticis; limatura martis in substantia. Ostracodermata, lapides cancrorum, cum rheo, amaris ec.

TUSSIS CONVULSIVA.

Morbi pectoris. et inter has tusses ea praecipue, quae *convulsiva* audit, maxime infantes vexant. Has nunc tussium differentes species examinabimus.

Tussis convulsiva fit inter continuas exspirationes nulla inspiratione interpolatas, cum faucium quasi strangulatu. Convulsiva dicitur, quia paroxysmus tussiendi (nam per paroxysmos aggreditur) saepe finitur convulsione epileptica, tetano totius corporis cum mentis absentia. Item quia sub ipsa tussiendi actione, quibusdam brachia, et crura, pedesque convelluntur, ita ut velut subsiliant. Initio per modum catarrhi, aut tussis destillatoriae accedit, atque

ita

ita aegrum per 8. 10. saepe dies affligit, donec tandem in veram abeat tussim convulsivam.

An novus morbus sit, dubitari potest, utut *Rosenstein* id affirmet. Saltem id verum est, esse noviter descriptum. Fors semper extitit; sed cum aliis tussis speciebus confundebatur. *Rosenstein* contagiosam esse affirmat, ita ut fomes huius tussis transferri ad alios possit. Non puto hanc tussim *contagiosam* dici posse, utut sit plerumque *epidemica*. Dabitur occasio aliquando experiundi, an aliqua ratione communicari, seu quocunque demum modo *inoculari* queat.

Idem Cl. *Rosenstein* asserit, tussim hanc non nisi semel per vitam afficere: falsum id esse observatio docuit.

Praeterea id quoque tanquam characteristica nota ab eodem autore affertur, scilicet, hanc tussim omni alterno die exacerbari per modum tertianae duplicatae. Verum adcuratissime observationes me docuerunt, vel in propria familia, id verum non esse. Contingit solummodo *nonnunquam*, ut febris remittens aut intermittens huic tussi iungatur. Sed dispares tamen semper hi morbi erunt.

Symptomata: *epidemica* est saepius; autumno et vere potius; tempora frigida et humida magis amat. Raro aestate vigente observatur: raro quoque hyeme adulta, sicca, boreali.

Tussibus aliis frequenter iungitur, aut potus alias tusses excipit. Morbillis sociatur, et eos sequitur. Infantilem et puerilem aetatem magis infestat; sexum item sequiorem prae virili; tamen etiam adultis, foeminis, irrita-

ritabilioribus praesertim non parcit, neque viris muliebrem habitum et irritabilitatem n miam habentibus.

Adulti saepe unum alterumve paroxysmum tussis convulsivae patiuntur tempore epidemico tussis convulsivae. Vidimus fabrum lignarium ante duos annos in nosocomio practico decumbentem, qui ex pleuritide convalescens gravissimum, et ferme suffocantem tussis convulsivae paroxysmum expertus est, utut *unicum*.

Pertinacissimus omnino morbus est, et quem quidam medici huiates ita aversantur, ut infantes hac tussi laborantes nunquam suscipiant curandos, sed eos iubeant soli medicatrici naturae committi.

Saepius ad octo septimanas, aut etiam ad decem producitur: non raro ad anni quadrantem usque: et inepte curata haec tussis ad tres anni quadrantes excurrit. Tamen rariora exempla suppetunt tussis huius intra decem dies curatae.

Praestat scire, morbum hunc plerumque *longum* esse, ne gravioribus utamur, et valentioribus remediis, quaeve reliquam potius sanitatem, quam morbum ipsum infringant.

Subinde absque febre est; tunc autem, quamdiu nempe febris abest, periculosa non fit. Saepius vero febris iungitur remittens, vespertina, nocturna. Aliquoties comparet haec tussis cum febre intermittente quotidiana, tertiana, tertiana duplicata coniuncta.

Per paroxysmos *incertos* aggreditur, cum livore faciei, oculorum protuberantia; subsultu crurum, brachiorum agitatione, vomitu

saepe subsequente materiae mucosae, pendulae, ranarum spermati simillimae: item assumptorum. Profluvia sanguinis ex faucibus, naribus, oculis; hipopia sanguine suffusa. Profusio urinae, alvi. Epilepsia; tetanus totius corporis; apoplexia; mors: Facto vomitu finitur. Qui non vomunt sub finem paroxysmi, saepius et gravius tussiunt, facilius convelluntur.

Terminatur variis modis; 1. primis 12. diebus tollitur remediis; verum id raro accidit; 2. saepius *apta curatione* sensim fatiscit, intra 2. menses, aut 10. septimanas; 3. superveniente apoplexia occidit, maxime plethoricos, pingues, non vomentes, parvulos dorso incumbentes, assumpto opio ec.; 4. occidit peripneumonia superveniente, 5. phthysi vera post haemoptoën; tunc puriformia subinde extussitant, curaturque lichene islandico, pilulisque balsamicis, 6. convulsionibus, 7. herniae.

Sedes morbi plerumque statuitur in ventriculo pulmones sympathice afficientes. Verum non omnis omnino tussis convulsiva est sympathica; sedes ergo ignoratur.

Materia morbi non semper est *pituita*, etsi saepe. Vomitus est a tussi ipsa; mucus ipsa tussiendi actione emulgetur ex glandulis.

Prophylaxis fors sola est: 1. in praecavenda ventriculi cruditate, 2. in praecavenda perfrigeratione.

TUSSES ALIAE.

Variae aliae infantes infestant, quos hic enumerare et explicare nequimus. Hinc eas solum species tussium enumerabo, quibus infantilis aetas praeprimis affici solet.

Prima est *tussis catarrhalis*. Autumno et vere observatur; item si perfrigerantur, postquam validius incaluerint. Crura frigori humido exposita; aër per rimam perflans; aura vespertina. Item si cunae infantum pone fornacem ponantur; assueti enim infantes fornacis calori levi negotio perfrigerantur.

Catarrhus oritur: 1) a perspirabili superficiei corporis suppresso, et ad pulmones decumbente, 2. ab halitu asperam arteriam et bronchia irrorante pariter suppresso, retento, 3. ab osticlis glandularum trachealium et bronchialium constrictis materia retenta acrescit; tussim et febriculam *vespertinam* et *nocturnam* excitat. Plerumque *coryza* simul adest.

Catarrhi recentes, atque omnis recens perfrigeratio rheumaque inde oriundum cito potest profligari, assumpto potu multo, tepido, diaphoretico, si aeger se simul in lecto ad movendam diaphoresin componat. Hac ratione multae dysenteriae initiantes comprimi possent; praecipue si pediluvia calida ec. simul in opem vocarentur. Verum si materies catarrhalis iam acrescat, tardius morbus sanabitur, coctione crudi, et evacuatione cocti.

Catarrhus negligi nunquam debet, inde enim, si diu duret, debilitas, et debilitatis effectus; pulmo varia ratione vitiatur; herniae; gibbositas.

Catarrhum *diutius* durantem oportet tentare 1. avocando perspirabile ad pulmones depositum ad alvum, manna, sale medio; ad urinas potu emolliente diuretico; subinde etiam ad corporis superficiem, 2. quietem conciliando quassatis pulmonibus, paregoricis;

hinc pilulae per eminentiam catharrales dictae, de styrace, de cynoglossa ec. 3. abstinendo ab iis, quae tussim augent, uti sunt actu acida, acria, spirituosa.

Altera tussis species est tussis *titillatoria*, seu *gutturalis*, quae quidem a tussi catharrali non differt, nisi quantum pars differt a toto. Si enim solum caput asperae arteriae affectum sit, non autem totus tractus, erit continua in faucibus titillatio, et ad tussiendum sollicitatio. Cura eadem.

Tussis *dentientium*, *aphtosorum*, *morbillosorum*, *variolantium*, *verminosorum* ec. est morbi alterius symptoma.

Frequentissima infantum et puerorum tussis est *stomachica*, itemque tussis visceralis, ubi vitium viscerum abdominalium adest: e. g. obstructio, saburra, qua re primum ventriculus irritatur, irritatione ad ipsos usque pulmones prorogata. Tussis a ventriculi cruditate seu saburra infantes aeque ac pueros, utpote voraces, corripit. Dignoscitur a tussi *pectorali*: 1. signis saburram ventriculi notantibus, 2. post pastum gravior est, 3. incipit a cardialgia, ab irritatione ad scrobiculum, ad umbilicum subinde, 4. non accersitur facta magna inspiratione, quod tamen fieri solet in tussi pectorali, 5. an vomitus sub finem tussis observatus notat tussim stomachicam? respondeo: non semper, et solummodo tunc, si tussis sit mitior, et serius accedat post vomitum. Pleuritica tussis subinde habet vomitum.

Diagnosis ideo est necessaria, quia tepida, emollientia, oleosa hic nocent: prosunt autem saepe in tussi pectorali. Prosunt autem

sa-

salina, rhabarbarina, emesis, et tandem lenia tonica.

Raucedo ad tusses ideo pertinet, quia tussis gutturalis plerumque simul est coniuncta. Oritur autem raucedo, si vapor perspirabilis caput asperae arteriae irrorans et lubricans supprimatur, vasculis nempe exhalantibus suppressis, perfrigeratione, morbillosa, aut variolosa, at aphtosa, aut scarlatinosa faucium inflammatione; aut muco obliniente abraso, quod fit crebra tussi, ut in phthysicis. Aut eo muco inspissato, quod fit spiritu ardente, acido, acido-austero, rancido; hinc tussis quorundam a pingui commesto ec.; tussis potatorum.

Catharrus suffocativus frequenter auditur tanquam peculiaris morbus. Veruntamen nullam certam tussis, seu catharri speciem constituit. Quaelibet enim tussis, undecunque nata, potest, et solet teneros infantes et pueros violenter invadere, atque per modum orthopnoeae, asthmatis ec. suffocationem minari, quin et re ipsa suffocare. Hinc materies catharralis copiosa thoracem petens, item pleuritis subito puerum corripiens fieri potest suffocativa, seu catharrus suffocativus. Tussis quaecunque alia, e. g. convulsiva, stomachica, visceralis subinde propemodum, aut fere suffocat.

Hinc nulla certa medendi ratio contra catharrum suffocativum tradi potest, etsi talis reperiatur apud non paucos auctores. Oportet ergo tussim hanc reducere ad certam quandam tussium aliarum classem, et inde indicationes petere.

Remedia hic nulla praescribam, utpote abunde nota ex materia medica. Solum id addam, qua forma plerumque infantibus, et quibus modis propinari medicamenta possint. Sciendum ergo 1. non dandas esse infantibus, neque pueris pilulas, 2. neque forma boli, 3. infantibus decocta non dari; dari tamen subinde pueris, si grata sint, 4. pulveres, nisi lacte subigi possint, et ferme inodori insipidique sint, difficulter ingeri, 5. optime propinari per mixturas et linctus.

FEBRIS INFANTUM INTERMITTENS.

Febris intermittens omnis generis etiam in teneros infantes cadit; quotidiana, tertiana, quartana, vaga.

Cognoscitur 1. periodico recursu, 2. livore unguium, manuum, faciei.

Paroxysmus in infantibus saepe a convulsione universali orditur. Hinc putatur esse morbus e. g. epilepticus, ubi revera solum subest intermittens.

Febris intermittens infantum frequenter est *larvata*, sub specie tetani, apoplexiae, et praecipue sub specie colicae redit.

Non diu sunt relinquendae tales febres; infans enim ferendo morbo par non est. Rachitis invitatur, et saepe initium rachitidis intermittens dedit.

Neque tamen sunt subito comprimendae cortice peruviano, nulla praemissa evacuatione gastrica.

Cura ex iis desumi posset, quae olim de intermittentibus dicta sunt. Verum placet hic peculiaria quaedam infantes potissimum concernentia commemorare.

Cu-

Cura est in paroxysmo, et alia extra paroxysmum.

In paroxysmo simplici nil agendum, nisi ut stadium sudoris rite absolvatur. Alias enim sudor natura exemptione e lecto, aut alio modo suppressus febrim facit inordinatam.

In paroxysmo larvato enemata, frictiones.

Extra paroxysmum cura fit solvente, emesi, dein cortice. Infantibus dandus est syrupus corticis. Extractum in mixtura per modum enematis, epithematis, coffee, etiam cum lacte. Nutrici dandus cortex.

Febrim sequens mixtura aliquoties profligavit:

R. Sal. absynt. non sulphur. dr. ß.
Succi citri q. s. ut saturetur;
dein adde
Aquae melissae, unc. jv.
Syrup. cort. aurant. unc. j.

Subinde his solventibus apte iungitur cortex. Dari extractum corticis potest in chocolada.

ALIAE FEBRES INFANTUM.

Febres acutae quoque infantes et pueros invadunt, eae ipsae scilicet, quae adultos oriuntur. Nihilominus sequentia notanda sunt: sc.

1. Febres vere inflammatorias rariores esse in infantibus et pueris, rariores quoque biliosas, crebiores vero esse pituitosas. Praeter has febres aliae quoque sunt puerili aetati magis familiares: sc. febris morbillosa et variolosa.

2. Difficillimum saepe est dignoscere, quorsum oblata febris pertineat, ob characteres adeo ambiguos, et diversissimis febribus communes.

3. Nota, in omni febrili morbo infantum maxime attentum esse oportet: 1.) ad dentitionem, 2) ad variolas et morbillos, 3) in pueris quoque ad vermes, 4) ad scarlatinam.

4. Mature praedicendum esse parentibus, fors variolas aut morbillos esse in procinctu; interim insistendum erit indicationibus generalioribus, quas diversissimae licet, febres inter se communes habent.

5. Nota, pulsui non multum fidendum esse in infantibus, rei utpote fallacissimae.

6. Nil magni agendum esse in eiusmodi febribus. Multum fieri, et fere totum apto potu, alvo aperta, tempore.

MORBI CUTANEI.

Scabies infantibus et pueris infesta nominanda venit, foedum cutaneum malum, in vulgus adeo notum, ut descriptione non egeamus: 1. *contagiosum*, ut quidam alii morbi, ita tamen, ut etiam absque contagio oriri queat, 2. in pueris scabies est crebrior, 3. in manibus, inter digitos praecipue primo omnino comparet, 4. frigore supprimitur, 5. hyeme difficillime curatur, 6. non curatur, nisi insignis vestium mutatio haberi quaeat, 7. raro in divitum domibus est, 8. frequens in pauperum tabernis, nosocomiis, exercitu ec.

An consistit in animalculis, ut *Rosenstein* et *Linneus* voluerunt? non videtur. Vermiculos quidem in locis scabiosis inveniri certum est; verum scabies iam praexistens, solum his in-

insectis habitaculum suppeditat. Videtur potius consistere in peculiari lymphae depravatione et acredine.

Prosunt 1. flores sulphuris bis, ter quotidie, praemisso purgante ex mercurio dulci aut ialappa; iterum flores sulphuris, et iterum purgans. His malum saepe cedit. Attamen subinde rebelle est: tunc autem *simul* unguentum ex floribus sulphuris et cremore lactis paretur; item unguentum ex sulphure, et sale ammoniaco et axungia, quo fricanda successive sunt membra. Lotiones manuum mediante decocto bardanae, nicotianae; aqua mercuriali; unguentum ex mercurio dulci et semine santonico paratum. Verum sub externo remediorum usu adhiberi semper debent remedia ex sulphure.

Scabies retropressa multorum malorum causa est, epilepsiae, apoplexiae, paralysis, tussis ec. phthyseos. Tunc autem 1. balnea tepida, flores sulphuris, moschus; infusum sambuci, tiliae, roris marini; ad articulos epispastica, vesicans. Sulphur auratum tertiae praecip., pilulae camphoratae; nutrici flores sulphuris. Quotitie lectus mundus sit, et mundum indusium, reliquaeve vestes. Abstinentia a pravis, indigestibilibus.

Quidam in retropressa scabie suadent, ut aeger induat indusium hominis scabie laborantis, et sic materies scabiosa quasi inoculetur. Sperant retropressae scabiei revocationem ad cutem. Verum sic materies materiei additur, neque necessario sequitur, latentem intus scabiem evocari debere. Est aeque ineptum consilium, ac si quis retropressam gonorrhaeam

nova

nova gonorrhaea velit revocare. Alia longe res est, si in retropressa gonorrhaea urethram immissa *stimulante* candela irrites, ut ad locum irritatum refluat materies gonorrhaeica. Malum malo addis, novam gonorrhaeam causas, quin certo revocas antiquam.

In scabie plethoricorum:

R. Olei vitrioli, dr. j.
Aquae commun. unc. v.
Syrup. rub. idaei, unc. ij.
M.

Sumat huius drachmam unam in vitro aquae communis, bis per diem.

Nocet debilibus. Sanat intra 14. dies.

Subinde facies, pars capitis capillata, quin et reliquum corpus efflorescit papulis rubris, crustis variis: praecipue *crusta lactea* dicta.

Causa est lac antiquum nutricis non bene sanae, seniculae, latente lue laborantis, aut olim venereae ec. A pulte nimia, nimis tenaci. Cave tamen, ne forte properanter accuses latentem luem, nisi eius signa vel in nutrice, vel in infante videas *certiora*, ne tuo effatu parentum animos turbes. Prosunt ablatio causae: lenes purgationes e. g. cum hydromelle infantum; antacida. Item potus diluens nutrici dandus; decoctum sarsaparillae, chinae nodosae, lapati acuti, stipitum dulcamarae, guaiaci, cum antimonio et lapide pumicis in petia ligato. Tinctura antimonii nutrici pariter exhibenda. Sapo venetus; ostracodermata.

Cave, ne has, aut analogas efflorescentias, *chronicas* nempe, intropellas remediis saturninis imprudenter adhibitis: prout etiam ex con-

contrario cavendum, ne quasdam alias efflorescentias, *acutas* videlicet, violenter expellas, uti sunt e. g. variolae, morbilli, miliaria, scarlatina.

Contra crustam lacteam tanquam remedium specificum, nuper a *Strackio* commendabatur peculiari dissertatione *iacea tricolor*, seu *herba vel flos trinitatis*, *viola tricolor hortensis*, *Dreyfaltigkeitsblume; ie langer ie lieber* hac ratione:

R. Herbae huius recent. (demtis radic. semin. flor.) pug. j.
Coque s. q. lactis.

Colatura aptae molis mane et vesperi sumatur.

Vel: R. Herbae huius siccatae, gr. xv—dr. ß.
Infunde bihorio s. q. lactis, momento coque.
Sumat mane et vesperi.

Loca sordibus *exulcerata* sanantur munditie, inspersione seminis lycopodii, farinae tostae, cretae coloniensis, pulveris lapidis calaminaris, tutiae. Non bene inspergitur cerussa, cum evolantes pulvisculi ore possint hauriri; item fors aliquid pulveris solvitur in loco excoriato, et resorbetur. Loca exulcerata possunt lavari aqua aluminosa, vel sequenti: R. aquae salviae unc. vj. aluminis crudi gr. x.

Loca retro aures saepe multum humoris fundunt, ulcerantur. Vidi artuum inferiorum paralysin a cohibito effluxu et ulcere sanato. Profuit loca haec denuo exulcerare adplicato vesicante.

Partes exulceratas a coryza sanat egregium hoc unguentum, quod etiam labiorum fissuris, papillarumque ulcerationi belle adplicatur.

R.

R. Butyri recent. et insulsi, unc. vj.
Cerae flavae, unc. jv.
Pomorum redolent., dr. ij.
Rad. althaeae, rec.
— lilior. alb. aa. unc. ij.

C. C. quoque leni igne ad consumptionem humiditatis: dein adde sequentia grosso modo pulverisata.

Rad. calami aromat. dr. ij.
Cinnamom. acuti, dr. j.
Charyophyllorum, scrup. j.
Benzois.
Storac. calamit. aa. dr. ß.
Rad. alkannae, dr. ij.

Fortiter exprimatur, fiantque tabulae quadratae.

Achores saepe difficillime sanantur, ita ut potius reliquam sanitatem medicando pessundes, quam achores possis sanare. Hinc pueris ceteroquin sanis, si habeant achores, nullam facias medicinam, nisi ut suadeas omni octavo die lene purgans ex hydromelle infantum, et capitis lotiones cum decocto bardanae et pauxillo saponis. Pediculos, tunc praecipue copiosos, enecant lotiones cum decocto nicotianae, sabadiliae; semen chaerophylli, aut unguentum quoddam adiecto mercurio, vel adiecto oleo quodam stillatitio: e. g. anisi, carvi, caryophillorum ec. oleo cerae, oleo ovorum, cui adiectum fuerit aliquod oleum stillatitium. Eruptionem achorum plerumque praecedunt tubercula circa collum, quae a scrophulis per id distinguuntur, quod hae lente oriantur, diutissime, per annos, per vitam subinde omnem perstent immotae; illa vero

facta

facta achorum eruptione cessent penitus ad tempus.

Tinea laborant pueri plerumque orphani, olim expositi atque illegitimo thoro nati, pauperrimi, pessimo victu nutriti, viru venereo haereditario contaminati.

Indicantur eadem remedia, quae antea contra achores commendabantur. Saepe tamen requiritur, ut capilli dropacismo prius evellantur, et dein dicta methodus medendi instituatur.

Ante paucos annos arcanum quoddam a *Magno Hetruriae Duce* contra tineam perefficax magno pretio emebatur, eratque sequens: R. bufones vivos, quotquot lubet: repone in olla bene vitreata, et operculo consimili luto probe clausa pone in fornace pistoria calefacta vicibus compluribus. Dein exemptos bufones in pulverem redige: asservetur in suos usus. Tineam inunge recenti lardo suillo, dein superinsperge dictum pulverem bufonum.

Impone vesicam suillam per modum cuphae per 24. horas. Post tempus hoc elapsum tinea absque dolore secedit. Deinde per aliquot adhuc dies caput inungendum erit eiusmodi lardo, sed absque pulvere bubonum. Nota, semper linteamine obvolvendum caput esse (facie excepta), ut aëris liberior accessus prohibeatur, donec omnia fuerint probe cicatrisata.

Lentigines, *ephelides* (*Sommerflecken*) morbus puellarum albarum, crinis flavi: item ephelides habent puellae rubricomae. Conveniunt pasta amygdalarum amararum, lac sulphuris, aqua phagadenica, solutio vitrioli albi; oleum tar-

tari per deliquium, quod satis certo has maculas tollit, verum iterum post aliquot menses recurrentes. Certius adhuc, et cum constantia sequens remedium prodest.

R. Rad. armoraciae in taleolos discissae, q. v.

adde

Aceti fortissimi, ut digito uno superemineat acetum.

In vitro bene obturato repone infra terram per 14. dies.

Laventur maculae hoc aceto.

Herpetem (*Zitterich*) sanant sequentia: lotiones manuum aquis sulphuratis; aqua, cui hepar sulphuris adiectum est; flores sulphuris interne et externe. Herpetes quaedam curantur adplicato succo citri, lapidibus cancrorum adiectis. Alii non nisi vesicante imposito destruuntur. Curavimus herpetem venereum mercurialibus externe et interne adhibitis. Verum tamen in omni cutaneo morbo dispiciendum erit, an morbus sit mere topicus, corpore reliquo ceterum sano; an vero, si morbus sit quidem topicus, sed a reliqui corporis male dispositi vitio permanans. Quod si hoc alterum obtineat, internis remediis primario pugnandum est. In primo casu interna remedia non requiruntur, sufficiunt externa; in altero casu sola externa nil efficiunt, repercutientia vero etiam nocent.

Naevis maternis multa remedia anilia et sympathica adplicantur; subinde solo tempore evanescunt, subinde cultro tolli possunt, si sint excrescentiae tales, ut apte abscindi queant. Prodest autem quam maxime sequens me-

methodus. Recipe emplastrum anglicanum dictum, pertunde hoc emplastrum in medio, et perfora; impone ita, ut vicinae partes hoc emplastro bene muniantur, et naevus nudus per emplastri foramen emineat: dein R. saponis veneti rasi, q. v. calcis vivae, quantum requiritur, ut pastam ex calce et rasura saponis efficere possis; pastae huius partem naevo impone. Post 12. horas locum erosum habebis, communi posthac methodo cicatrisandum. Quod si naevi hi maiores sint, et plusculum emineant, iterari usus pastae debet.

Furunculus, dolentissimum malum infantes ac pueros non raro affligit. Non dabo eius descriptionem. Est peculiaris inflammatio, peculiari suppuratione terminanda, nucleus enim excidit semper. Tractari cataplasmate emolliente debet. Post variolas frequens malum; crebro, et per longiora intervalla purgandi sunt.

Verucae subinde sunt malum mere topicum, a causa externa ortum. Tunc exstirpatio iuvat, ferro, igne; item succus chelidonii maioris, tithymali, foliorum ficus. Emplastrum ex galbano et sale ammoniaco; sal ammoniacum aceto solutum; ligatura. Subinde interne dandae sunt pilulae ex sapone veneto, gummi ammoniaco, extracto taraxaci etc.

HYDROCEPHALUS.

Hydrocephalus est aquae in capite vel interno, vel externo collectio. Est *connatus*, et *adquisitus*; *externus*, *internus*, *compositus*; *simplex*, vel cum spina bifida.

Causae sunt: situs iniquus in utero matris ob arctationem abdominis; funiculus circa collum; caput inclavatum; partus violentus, et tardus; laesio capitis instrumentis facta.

Prosunt externa et interna discutientia; cucuphae ex aromaticis, vinosis, camphora. Lenia purgantia. Emplastrum de galbano ad caput; momento adiecto emplastri vesicantis. Spiritus anthos, matricariae, salis ammoniaci, olea stillatitia, balsama sulphuris varia.

Nunquam convenit apertura, nisi in simplici externo, et tunc caute. Diutius subinde vivunt cum ingenti capite.

VIII.

TUSSIS CONVULSIVA.

Ut tussi convulsivae rite medeamur, eius naturam, genium nosse oportet, hinc notandum: 1) quod tussis convulsivae species nonnunquam a vermibus producatur, pravis, ac mucosis praecipue intestinorum contentis, 2) frequenter oritur post morbillos, et saepe pertinax admodum est, 3) tussis ad initium sicca, demum post aliquot dies humida fit, et sputa crassa, tenacia educuntur, 4) noctu gravior, et frequentior esse solet, quam per diem, 5) linguam vix non omnes habent muco albido obductam, quive fari iam possunt, saporem queruntur abolitum, deprava-

tum,

tum, 6) notante *Friderico Hoffmanno* observatur tussis haec epidemice grassari, si aestatem siccam calidamque excipiat autumnus humidus et frigidus. *Sydenhamus* tussim hanc observavit mense novembri anni 1679, cum praecedens mensis pluribus maduisset pluviis. Clar. *Huxham* variis temporibus tussim vidit convulsivam, sed maxime tempore frigido humidoque. Novimus hac tempestate, frigida nempe et humida, morbos regnare potissimum pituitosos, peripneumonias nothas, sive mucosas; quid ni etiam eiusdem naturae tussis convulsiva infantum fuerit, ac tusses adultorum sunt, a frigido mucosoque, pulmonum nempe, infarctu? Mira certe morborum eodem tempore regnantium aequalitas, si morbi causam spectemus, ac convenientia reperitur. Sed quare tussis haec peculiaribus symptomatibus stipatur, et sic a tussi adultorum eadem tempestate regnante diversa esse haud reputetur? ratio est, quod materies haec tussim hanc excitans nervos respirationi famulantes magis afficiat, irritetque in aetate tenera infantum, quam in adultis.

Hinc patet: 1) tussim *convulsivam epidemicam* non semper mere stomachicam esse: pulmones ipsos idiopathice laborare, muco multo eosdem infarciente; quin imo dari tussim convulsivam posse illaeso etiam systemate gastrico, solisque pituita obsessis pulmonibus. Patet itidem, materiem spermati ranarum consimilem vomitu reiici solitam, non semper, et forte rarius morbi causam esse, sed effectum tussis convulsivae, glandulas oesophagi, ventriculi, intestinorum exprimentis, emulgen-

tis. Item perpensis omnibus id etiam videtur constare, non tussim quamlibet, undecunque natam, sive idiopathicam, sive sympathicam posse in subiectis irritabilibus fieri convulsivam. Quare aptior erit tussis convulsivae divisio in tussim convulsivam *epidemicam idiopathicam*, ubi ipsi et soli pulmones affecti sunt, et uti in peripneumonia senum notha, multa infarcti pituita, acri, stimulante: 2) in tussim convulsivam *epidemicam sympathicam*, ubi ventriculus, et intestina, ac mesenterium multis pravis contentis scatent, unde tussis primo mere *stomachica* oritur, sed convulsionibus stipata, ob irritabile affectum nervorum systema, 3) in tussim convulsivam *epidemicam compositam* ex utraque priori specie, ubi et pulmones simul *idiopatiche* laborant, simulque ab primis viis *sympathice* afficiuntur, aut ubi diutius durante tussi stomachica ipsi demum pulmones vitium trahunt, eadem prorsus ratione, uti in tussi stomachica inveterata, sive in tussi cachectica explicui, 4) in tussim convulsivam *sporadicam*, quae diversissimas agnoscere causas solet. Saepe enim dentientes cum convulsionibus tussitant, ob irritantes gingivas, irritatione ad pulmones propagata. Item verminosi, acido laborantes tussim quandam quasi convulsivam experiuntur. Uno verbo: quotquot tussis causae in infantibus sunt, tot possunt, non simplicem solum tussim, sed vere convulsivam producere, 5) in tussim convulsivam *febrilem*, et non *febrilem*. His consideratis facile ipsimet rationem dabimus, quare tot methodi ab se invicem diversissimae, quin etiam oppositae in tussi con-

vul-

vulsiva celebrentur? quia videlicet ipsae tussis causae et diversissimae erant, et diverso in loco positae. Ipsimet denuo determinabimus, an in tanta methodorum diversitate, tam diverso tussis convulsivae genio, sententia egregii alias Rosensteinii subsistere possit, qui morbum variolis et morbillis similem reputat, id est aeque contagiosum, et qui semel tantum eundem per vitam hominem adoriatur; an seminium hoc tussis convulsivae in insectis consistat, uti iidem clarissimi viri opinantur.

Videamus iam, quam diversa methodo, diversi autores usi sunt contra morbum et gravem, et plerumque pertinacem; tandem ipsimet nos seligemus, quae nobis optima visa fuerint, et regulas quasdam practicas tussim convulsivam concernentes proponemus.

Exordium a *Sydenhamo* faciemus. Dedit is lenia alvum ducentia remedia repetitis vicibus, venam secuit, et vesicans adplicuit. *Fridericus Hoffmannus* pectus inunxit, clysmata, pediluvia, crurum frictiones, et vesicantia praescripsit; interne vero electuarium dedit ex oleo amygdalarum, spermate ceti, et syrupo papaveris albi paratum; demum subiunxit mixturam pectoralem, cui granum tartari emetici adiecit, cui etiam vim potissimam et praesentissimam opem adscribit. Contra tussim convulsivam a retropressis efflorescentiis cutaneis laudat aethiopem mineralem. Cl. *Huxham* praesente plethora, aut superveniente sanguinis sputo, febre validiori, aut ubi facies sub paroxysmo tussis convulsivae livescit, nigrescit, venam secat. Subiungit dein usum

oxymellis squillitici, aut radicis ipecacuanhae, scopum emesin ciente, idque ternis, quaternis vicibus; demum rhabarbarina aliaque blanda purgantia propinat. Mercurium item alcalisatum, prout is ipsum appellat; id est pulverem compositum ex mercurii depurati parte una, et lapidum cancrorum partibus duabus diu inter se in mortario marmoreo tritis, donec omnia perfecte subacta sint. Exhibet itidem mercurium dulcem purgante scopo. Respirationis difficultatem tollere conatur emulso gummi ammoniaci, item succo millepedum. Tussis vim nimiam nervinis et antispasmodicis oppugnat. Suadet itidem usum vesicantis ad nucham ponendi, scopo a pulmonibus revellente. Demum aërem suadet campestrem, motum corporis, et frigida balnea.

Cl. *Whytt* corticem peruvianum commendat. Clar. *Werlhof* praescripsit contra tussim convulsivam sequens remedium:

R. Spiritus vitrioli dulcis, unc. j.
Syrupō. corallior. unc. viij.
M.
Mane et vesperi duo cochlearia coffeana.

Cl. *Zimmermannus*, uti legimus in tractatu de dysenteria, optimo cum effectu emetica praescripsit. Clar. *Armstrong* solutione antimoniali utebatur, quam multis modis extollit, et radici ipecacuanhae, et oxymelli squillitico praefert. Cl. *Gessner* (*Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneygelahrtheit*) contra tussim convulsivam Nordlingae grassantem ipecacuanham et tartarum emeticum absque sperato effectu dedit; profuit vero moschus, et extra-

ctum

ctum nicotianae. Plerumque pilulas dedit ex duabus moschi partibus, et una extracti nicotianae paratas. *Rosenstein* commendat praeter moschum, nicotianae extractum, ipecacuanham, corticem, et infusum roris marini sylvestris. Cl. *Unzer* arbitratur, nullam convulsivam tussim absque emeticis curabilem esse, quod curam ex integro absolveret. Hoc scopo tepidam cerevisiam, cui pauxillum butyri addidit, propinat; alio in loco, sulphur auratum suadet. Laudat itidem tanquam certum remedium syrupum millepedum, qui paratur, dum succus millepedum cum vino albo emulgetur, cui dein debita sachari quantitas adiicitur, ut syrupi consistentiam adquirat.

In observationibus medicis *Londinensibus* commendatur castoreum, cortex, exiguae doses tartari emetici scopo alterante. Opium et hyosciamus a multis commendantur. Sunt, qui infusum salivae glutinosae in lacte mirum quantum laudant contra tussim convulsivam. Alii utuntur infuso roris marini sylvestris. Asae foetidae vires Cl. *Millar* contra tussim hanc egregias expertus est. Dedit is mixturam sequentem.

R. Aquae puleg. unc. iij.
Spirit. mindereri, unc. j.
Asae foetidae, dr. ij.
M.

Omni hora cochlear medium.

Abstinuit tamen ab hac medela in provectiori malo, aut ubi hoemoptoes, aut phthyseos vestigia sese monstrabant.

Extractum nicotianae tussim spasmodicam sedavit notante *Rosensteinio* datum ad grana

 duo

duo vel tria. Quo vero nauseae, quam extractum hoc conciliat, obvium eatur, suasit idem cl. vir, ut pauxillum aquae cinnamomi superbibatur. Opinatur eodem cum effectu et utiliter idem extractum adhiberi in tussi convulsiva posse. Exstant certe tam novae, quam antiquiores observationes asthmatis pituitosi, et tussis pertinacis syrupo nicotianae secundum formam dispensatorii Würtenbergensis parato percuratae. Unde spes est idem remedium in morbo consimili, tussi nempe convulsiva profuturum, si modo ea dosi detur, ut vomitum non moveat, quem aromate assumpto oportet cohibere.

Corticem peruvianum praeter alios in tussi convulsiva commendat Cl. *Strandberg*, et *Brendelius* in programmate de tussi convulsiva, si modo cum resolventibus, ac imprimis cum terra foliata tartari societur. Sed sua cortici tempora sunt, ubi is prodesse potest. Etenim cl. *Millar* eundem utilem expertus est in fine potius morbi ad robur fibrarum restituendum, et prohibendum relapsum. Alii corticem utilem experti sunt in initio solum, ubi pulmones necdum affecti idiopathice fuerant, sed malum adhuc in systemate gastrico haesit.

Fuere epidemiae, ubi venae sectio profuit, atque ita quidem necessaria fuerit, ut ea neglecta certam phthysin induceret. Tunc scilicet, quando dispositio peripneumonica adfuit, et pulmones non tam pituita inerti, quam sanguine multo et phlogistico turgebant. Causa per venae sectionem et methodum antiplogisticam ablata, plethora nempe et phlogosi, tussis conticuit.

Fuere

Fuere aliae epidemiae, ubi cerevisia, cui cochleae hortenses et contusae incoquebantur, eximium levamen, et sanitatem brevi attulit. Cerevisia haec varia dosi, modoque praescribitur, e. g.

R. Cochl. minores hortens. Nro. XXX-XL.
Contus. coque in libr. j-j ß. cerevisiae per $\frac{1}{8}$ hor.
Colatura per linteum fortiter pressa et sacharo edulcorata detur usui.
Sumat omni hora, vel bihorio unciam.

Nolo plures auctorum methodos recensere, sed potius subiungam, quae nos potius in morbo hoc pertinacissimo facere oportet. Igitur medicus ad curandam hanc tussim accersitus examinet: 1) an tussis haec inter initia versetur adhuc, et necdum firmas radices egerit; equidem inveterata tussis variam saepe habet cum aliis morbis haemoptoe etc. complicationem; 2) an tussis mere stomachica sit, ita ut pulmones solum per consensum afficiantur. Hoc si fuerit, cura solventibus, emeticis, rhabarbarinis, demum stomachicis, syrupo corticis peruviani, salviae glutinosae infuso, herba veronica, hedera etc. ex integro absolvitur. Nocebunt tunc per se venae sectio, sic dicta pectoralia, emollientia, opiata etc. 3) an tussis sit mere pectoralis, id est an sit vitium ipsius pectoris, illaeso ventriculo. Quod si constet pulmones ipsos affectos esse, indagandum ulterius erit, an eosdem gravet pituitosa materies, ut adeo tussis haec convulsiva potius sit species peripneumoniae nothae. Hoc in casu exiguae et repetitae vo-

 mi-

mitiones, purgationes mannatae, salina, et demum vesicantia, kermes, stibium, sulphur auratum tertiae praecipitationis, asa foetida, millepedes, squilla, etc. indicabuntur. Verum si pulmones sanguine phlogistico turgeant, ita ut iam non sit peripneumonia notha, sed vera, essentialis, sanguinea, omnes hucusque recensitae methodi nocebunt, proderit vero missio sanguinis, et quidquid antiphlogisticorum remediorum titulo gaudet. Quod si tussis stomachica, peripneumonia notha simul iungantur, difficillimus curatu morbus erit, et medici prudentiam ac iudicium practicum praeprimis exercebit. Occurrendum tunc est urgentiori malo, sed regulae specialiores hic dari nequeunt. Cum itaque tussis convulsiva epidemica, de hac enim unice nunc loquor, consistat vel in tussi stomachica, vel in peripneumonia notha, vel in vera et sanguinea pulmonum inflammatione, vel in diversa trium horumce morborum complicatione, alia difficilis quaestio nascitur, quomodo nempe dignoscendum sit, an ventriculus solum laboret, an vero pulmones, et si hi, an pituita vel sanguine graventur. Respondeo: diagnosin formandam esse 1) ex notis proprietatibus tussis stomachicae, peripneumoniae nothae, aut verae, alibi iam aut explicatis, aut explicandis; 2) ex constitutione epidemica, et febre praedominante; nam quo tempore pleuritis et peripneumonia vera, uti rigescente hyeme, et primo vere fit, late dominatur, tusses convulsivae erunt potius a causa calida, sanguinea. Ubi vero febres pituitosae, catharrales, rehumaticae grassantur, quemadmodum vere adulto,

et

et initio aestatis evenit, tussis convulsiva potius ad peripneumoniam notham, seu pituitosam pertinebit. Verum aestate adulta, et autumno, febribus gastricis late dominantibus tussis pariter convulsiva, sub iisdem determinantis bilis vexillis stipendia merebitur, et morbus erit primario gastricus. Studium hoc epidemicorum morborum nescio quomodo a tam multis negligatur, et ad vana tantum speculationum quarundam commenta relegetur, cum tamen vix ullus sporadicus morbus sit, qui ab epidemica labe immunis sit, et ab eadem epidemico vitio ita alteretur, ut longe aliam sibi methodum medendi expetat, quam non postulasset labis epidemicae expers morbus. Praeterea studium epidemiae morbos primum fientes, ut ita dicam, morbos adhuc in herba existentes, necdum signis cognoscibilibus et characteristicis insignitos facile detegit. Sic e. g. si in aestate, bile multum dominante, hominem videam dedolatum, leviter per intervalla frigentem, denuo incalescentem, etsi necdum ex ipsis morbi latentis symptomatibus scire queam, ad quamnam febrium classem futurus morbus pertineat, tamen nota huius tempestatis et epidemicae biliosae constitutio quasi acus magnetica me diriget, ut latentem hunc, dubiumque per se morbum, et suis destitutum adhuc characteribus pernoscam, ac eundem, antequam erumpat, penitus comprimam, penitus iugulem.

Sed e diverticulo ad viam. Solvite ipsimet iam sequentes quaestiones: 1) quare methodus medendi tussi convulsivae, quae hoc anno profuit, alio nocuit? 2) an exspectari

reme-

remedium specificum potest unquam contra tussim convulsivam? 3) an ipsa tussis novus morbus est, veteribus ignotus? certe gibbos a tussi memorat *Hippocrates*, quos cui aptius adscribemus, quam ferinae tussi? 4) an methodus certa praescribi potest medendi tussi convulsivae? 5) quando locus est ipecacuanhae, tartaro emetico, kermes, stibio, sulphuri aurato, salviae glutinosae, rorimarino sylvestri, asae foetidae, millepedibus, squillae, vesicantibus, essentiae cantharidum, cicutae, opio, hyosciamo, extracto et syrupo nicotianae, cortici, cerevisiae, cui cochleae hortenses incoquuntur? 6) medendum erit saepius solis urgentioribus symptomatibus, e. g. peripneumoniae, stasi in encephalo: tussis autem ipsa naturae committenda erit. Sustentandae tunc vires, aut saltem non erunt deiiciendae inepta medicatione; 7) cave ab opio; 8) emetica et purgantia non facile crebro repetas, haec enim vires frangunt; 9) cortex nil boni facit, nisi morbo diu durante; et viribus medicatione exhaustis; item si remittens, aut potius intermittens adsit, quae corticem exigat, tunc enim et intermittens febris et ipsa convulsiva tussis simul curantur; 10) convulsis sub finem paroxysmi, aut apoplecticis digitus immitti in fauces debet, et vomitus proritari; 11) nil magni age, quamdiu aeger appetit, et febre caret, etsi morbus in longum trahatur. Opem a mora pete.

IX.

DE OFFICIO MEDICI.

I. Officium medici erga se ipsum, et artem, quam profitetur.
II. Erga aegrotum, et aegroti propinquos.
III. Erga reliquos non aegros, praecipue erga collegas.
IV. Officium medici se ipsum et suos curantis.

Fungitur medicus *gravissimo* officio, quia id circa vitam humanam versatur; hinc et *nobilissimo*, et in quo non licet esse mediocrem, Praestat nullam esse artem, quam *perversam*. Millenis salutem offert.

Hinc accedat bene paratus 1. ab auxiliatricibus scientiis; 2. a praxi clinica. Ex *libris* et *ore* praeceptorum discendum, dein vero ex aegris ipsis praeeunte magistro. Non licet experimenta per mortes facere. Praxis clinica est summe necessaria. Sed sit etiam bene paratus a natura; hinc non sit velox, audax, leviculus, mutabilis, phantasta, hypotheticus; sed gravis, cogitabundus, cunctabundus, non sit irregiliosus, nemo plus religionis habere tam facile potest, quam medicus.

Medicus potator est infamis et periculosus. Castis moribus sit, sceleri nunquam patrocinetur, nunquam abutatur aliorum miseria in

suam

suam libidinem. Medicus *avarus*, *blatterator*, *iactator et circumforaneus*, *pauper*, *et sordidus*; medicus *aliud agens*. Sunt enim qui lusui se dedant. Sunt, qui quae didecere, sola retinent, et tempore longaevae nonnunquam praxeos nil legunt, nil novi detegunt. Utinam quilibet medicus unius solummodo morbi daret veram cognitionem.

Alii, quinimo plerique magnam facilitatem in conscribendis formulis sibi comparant; at nullam in diagnosi.

Nil magni faciet, qui artem non amat, quam exercet, qui profectus ulterioris desiderio non flagrat.

Plus *prudentiae iudiciique* requiritur in exercenda medicina, quam *doctrinae*; sunt, qui non magno iudicio pollent, utut cetera perquam docti; hi mali evadunt medici. Noveris, qui omnes auctores a patre *Hippocrate* ad nos usque numerant, quin bene mederi sciant, si careant iudicio practico.

Sunt secundo loco officia quaedam medico observanda erga aegros, et aegrorum propinquos.

1. Medicus in curando nullam faciat distinctionem, quod sedulitatem et attentionem concernit, seu pauperrimum quemdam, seu principem sanet: illi aeque diligenter prospiciat, ac huic; non faciat experimentum in anima vili. In curandis magnatibus medicus animo turbatur non raro personae magnitudine, nobilitate etc. Hinc trepidabit, tumultuabitur; dabit remedia varia, properanter, et dosi nonnunquam nimia, ut morbum abbreviet; vel vero praeter rationem medicamenta

muta-

mutabit. Hanc medicus sortem certe ab omni alio homine invidendam habet, quod miseris tam presentaneam opem ferre ubique queat, quod integrae prolium turmae parentem e mortis discrimine servare non raro possit, quod per ipsum tot homines hac dulci aura diutius fruantur. Hinc conscientia recte factorum medicum plus remuneratur, quam quaecunque sostra.

2. Non sit durus, et verbis asper in aegros, fortassis sensiliores, irritabiliores, magis impatientes. Discat compati, et compassione et auxilio morbos lenire. Non adhibeat remedia ipso morbo graviora. Absit ut aegro certam mortem in faciem praedicat asperis verbis et incultis. Raro id fieri debet, et peculiaribus solum in casibus: si e. g. aeger omne auxilium recuset admitti. Nunquam derelinquat aegrum, utut deploratum; saltem leniat, saltem conetur lenire dolores, saltem videatur aliquid facere, ubi nihil amplius fieri potest.

3. Medicus aegrum non *perfunctorie* examinet; non pudeat medicum in singula inquirere. Historiam domi suae adcurate connotet. Maximi momenti est, ut medicus diarium suorum aegrorum habeat; id vel domi, vel etiam penes ipsum aegrum saepe scribi potest. Nomen aegri ignoto sit charactere; cetera vero noto.

4. Indulgeat, quae aut prosunt, aut saltem non nocent. Adstantium opiniones probet, si probandae; reprobet aut detorqueat modeste, si reprobandae. Earum methodos aut remedia, si aut bona sint, aut non noci-

va, lubens admittat, ut eo magis benevolos ipsos habeat in ceteris. Phrasibus et modis loquendi in certa regione receptis modeste uti potest, et remedia sua adcommodare formis ibi usitatis.

5. De periculo, si quod sit, adstantes prudentiores, et quorum interest id scire, semper moneat.

6. Nullam habeat religionis, quam aeger profitetur, distinctionem: iudaeo aegro aeque ac christiano succurrat.

7. Morbos quosdam cave ne evulget: epilepsiam, hernias, luem, graviditates, et puerperia. Sciat haec altissimo et perenni silentio premere. Nunquam de aliorum morbis apud alios narret, ne inde tricae et alia incommoda nascantur; ne quis ipsius narratione ubicunque abutatur.

Medicus morbum levem non reddat studio *graviorem* spe lucri, neque pronuntiet *gravem*, si levem viderit.

Non paciscatur de sostro; id vi non exigat; sostrum non petat ante sanationem.

Consilium aliorum si petatur, lubens admittat; saepius ipse petat, ut ne videatur aliquid negligere; in morbis nobiliorum, magnatum id sedulo faciat.

Officia erga collegas: In consiliis id nota. Consilium petendum in *dubiis*, etiam in *certis* morbis, sed *periculosis*; etiam in certo *letalibus*: item in *longis*, utut *curabilibus*; imo quoties aeger id petit.

Consilia *amicorum* meliora; meliora *paucorum*. Subinde assistentiam unius aut plurium petat.

Ne-

Nemini det remedia, quem alius tractat. Non facile suscipiat aegrum sanandum, qui sub cura alterius est, nisi dimissus alter sit, et datum sostrum. Clam nil faciat.

Non damnet aliorum methodum coram aegro, seu bona, seu mala ipsi videatur.

In morbo difficili amici consilium clam saepe petat.

Morbos ad ipsum stricte non pertinentes non suscipiat solus; hinc saepe peritum chirurgum oculistam, obstetricantem advocet.

In consilio ordinarius narret, praemissa amica singulorum compellatione, historiam morbi: exhibeat formulas: addat opinionem ulterius agendorum. Dein *iunior* aut aetate, aut dignitate *minor* suam exponat mentem; atque ita ex ordine.

Tandem sequitur ordinarius *vota plurium*, et utitur etiam imposterum opinionibus in consilio prolatis.

Suam opinionem libere, attamen modeste, et absque contentione dicat. Absit omnis altercatio. Satisfecit officio et conscientiae hac ratione. Nunquam ex humano respectu reticeat utilia.

De officio Medici se ipsum et suos curantis.

Medicus se ipsum et suos saepe male sanat. Metu futurorum terretur. Amore sui decipitur. Aliud est, morbos in aliis visos nosse, et aliud eosdem in se experiri. Errores se ipsos curantium narrantur.

Amicum medicum habeat, cui se suosque committat.

Non

Non sit ex classe illorum, qui aut *semper*, aut *nunquam* remedia sumunt, etsi iisdem indigeant. Utrique non bene opinantur de medica arte.

Medicus opiniones plebeias de contagiis petechialibus etc. discat deponere. Metus morbos invitat.

In nosocomiis iuniores saepe pereunt; etiam in castris: 1) quia labor *insolitus*, *taediosus* eos affligit. Aliud est medicina *nosocomialis*, alia *sporadica*. Prodesset antea functum esse munere assistentis; 2) taedia, sollicitudo nimia; 3) diaetae mutatio, vinosior e. g. qualis antea non fuerat.

Legat solos practicos, celebratiores veterum et recentiorum. Correspondeat cum amico litterato; comparet collectiones quasdam medicorum, ut ne semper maneat in eodem, sed semper se perficiat.

Coronidis loco quosdam medicorum errores perstringam:

Medicus cautus sit in morbis virginum, ne gravidam pronuntiet non *gravidam*: ne gravidae menses moveat, aut graviditatem habeat pro ascite, aut viceversa. Gravidam pallliantibus solabitur usque ad tempora partus, aut clam pariendi suggerat consilium, et simul ab abortivis omni modo dehortabitur. Multae fiunt et quotidianae deceptiones.

Medicus non ubique luem veneream suspicetur, ubi saepius nulla est. Noveram, qui remotissimos a lue morbos mercurialibus fuerat aggressus. Malam de se ipso ideam apud alios excitabit eiusmodi medicus.

Caveat, ne fluorem album non venereum dicat venereum, et infortunatum reddat coniugium: ne morbos mariti occultos narret uxori.

Cordatus medicus, ubicunque poterit, amice et tamen efficaciter dehortabitur a vita licentiosa, et eius pravos fructus demonstrabit.

Medici eirorem quemdam valde practicum et facili negotio committunt. Quilibet enim aegros suos ex proprio modulo metitur: sic robustus et corporis quadrati medicus, qui sibi largas venae sectiones aut solet, aut debet instituere, eam methodum omnibus applicabit; delicatus vero, debilis et irritabilis erit timidissimus in dosi remediorum.

Cave, ne dum lectioni unius rei te compluribus septimanis dederis, ea ubique occurrere existimes, quae legis actu.

Cave, ne pertinaciter inhaereas eae methodo, si natura reclamet.

Cave, ne quotidie mutes absque causa; id est enim hominis incerti et fluctuantis.

Ne oneres variis eodem tempore sumendis.

Medicus caveat, ne turbetur querelis et lamentis adstantium, prolium, uxoris. Talia enim solent eundem percellere, turbareque eiusdem ratiocinium.

Impatientia aegri et nimia sensilitas, quaerulositas auxeses facit, et medicum facile eo deducit, ut faciat medicinam morbo graviorem.

Medicus litteratos examinans facile errat, quod in narratione morbi suas opiniones sub-

stituant. Hoc hominum genus proprios morbos pessime exponit medico, ubi e contrario rusticus vere, genuine, absque fuco rem narrat.

Haec habui de officio medico memoranda, strictim solum, et summa solum rerum capita attingendo. Cursui scholastico hic finem imponimus, ut resumptis et animi et corporis viribus aut nostra studia denuo sequenti anno persequamini, aut vero, postquam tot annorum labores tanta patientia et contentione exantlastis, eorum promeritos nunc fructus capiatis. Id oro, atque enixe flagito, ut, quem hucusque vestrorum commodorum studiosissimum habuistis, eundem porro favore vestro non destituatis.

X.

DE MORBIS QUIBUSDAM CAPITIS.

CEPHALALGIA.

In explicanda morborum historia eum ordinem sequemur, quem ipsa corporis humani figura suppeditat, ut a principe hominis parte, capite scilicet, exordium ducamus. Hinc morbi capitis nostram aliquamdiu attentionem sibi vindicabunt.

In-

Inter affectus capitis dolor imprimis recenseri, aliorumque istius partis pathematum quasi agmen claudere solet, utpote qui morbos aliarum corporis partium quamplurimos antecedat, comitetur, consequatur.

Dolor capitis, creberrimus affectus originem tam variam, incertam, multiplicem, et non raro contrariam habet, ut difficillimum videatur exactam causarum notionem dare.

Multiplex eius divisio est: dolorem recentem *cephalalgiam* appellare, chronicam *cephalaeam*. Aliam divisionem repetunt, a diversa causae morbificae sede, ut *idiopathicum* dolorem capitis dixerint, qui causam sui excitantem in ipso capite habeat; *sympathicum* vero, qui parti cuidam alii *compatitur*, et causam agnoscit extra caput locatam.

Sed et dividunt, prout vel totum caput, vel anterior pars, vel occiput, vel alterutrum tantum latus adficitur, quam ultimam speciem *hemicraniam* nominant.

Alia quoque divisio est in *originarium* dolorem capitis, ubi dolor ipsemet morbus est, non autem alterius tantum cuiuscunque morbi symptoma. De subiecto, cui dolor inhaereat, de parte capitis affecta disputatur. Plerique in meningibus, earum productionibus variis, in thecis nervorum sedem doloris reponunt. Alii periostium, meninges insensibiles adstruunt, atqui alibi sedem doloris quaerunt. Quidquid dicatur, nervos per membranas largiter disseminatos affici, quandocunque dolet, nemo negaverit.

Sed aliquas ex innumeris aliis causas contemplemur, quas prae aliis quibuscunque dolorem capitis producere frequentius deprehendimus:

1. Quidquid vasa encephali distendit, premit, rodit. Sanguis orgasticus, inflammatus, et difficilius per meatus venosos arteriososque tranans, unde capitis dolor in febribus inflammatoriis. Sanguis qualitate bonus, sed quantitate abundans, et plethora tam corporis, quam capitis in specie. Sanguis rarefactus calore atmosphaerae; hinc ille dolor capitis sub ardente syrio messoribus infestus, aut quem in cubiculo nimis calido experimur. Item sanguis motu corporis nimio, potu spirituso, venere multa, lucubrationibus, diuturna non interrupta meditatione, opio versus caput copiosius allectus, rarefactus. Multa quoque alia sunt, quae sanguinis nimiam quantitatem versus encephalon determinant, et capitis dolorem efficiunt: v. g. difficilior sanguinis per pulmones transitus efficit, ut refluxus eiusdem minus promptus ex capite sit; hinc floridam saepe faciem, et sanguinis colore laeto pictam exhibent non raro, qui laboriosam, asthmaticam respirationem ex quocunque pulmonum non bene permeabilium vitio habent. Qui thoraculo arctiori, foeminae praecipue, utuntur, qui capite multum antrorsum inclinato scriptitant, vestes supra abdomen validius adstrictas gerunt, collaribus aut subligaculis strictioribus utuntur, qui viscerum abdominalium infarctu, difficilique humorum per ea circuitu laborant, iis sanguis inaequaliter dispensatur, atque intra calvariam, maiori ac

opor-

oportet quantitate urgetur, ut quaedam quasi plethora topica oriatur, solius videlicet capitis. Excretiones sanguineae solemnes suppressae, haemorrhagia narium, haemorrhoides, lochia, menstrua; item alvus dura.

Sed et multiplex alia materies in capite alicubi collecta, dolorum horum causa frequenter existit. Sic *serum* post vehementes cephalalgias in cadaveribus repertum multoties fuit, quod vel mole sua, premendo nempe, vel spiculis salinis, acribus permixtis, vellicando, rodendoque atroces dolores corporis, quae in deliria furiosa subinde desivere, effecerunt. Materies acris *erysipelatosa* subinde est, erysipelate foris exstante prius, nunc vero saturninis retropresso, atque ad caput ablegato. Materia rheumatica, arthritica, herpetica, scabiosa, si morbi hi cutanei retropellentibus, adstringentibus, pinguibus tractentur, graves cephalalgias frequenter generant. Vidimus priori anno hemicraniam diram ex ophtalmia serosa retropressa natam, et adplicato in vicinia vesicante persanatam. Acre venereum diros capitis dolores, noctu praecipue, ubi aegri corpus tepore lectuli incaluit, plurimum ingravescentes producit.

Pituitam dolorum capitis causam, non infrequenter, nec immerito veteres accusarunt; senibus quippe, iisque, quos peripneumonia illa notha ab Sydenhamo descripta corripit, dolor capitis ab infarctu pituitoso vasorum encephali frequenter est.

Solidorum vitia intra calvariam nata habituales capitis dolores, eosque immedicabiles utplurimum faciunt. Mala capitis conformatio,

vel a nativitate, vel a vi externa; tumores varii, exostoses, tophi, ossicula membranis cerebri innata, quale ante annum in capite vetulae reperimus; vasa arteriosa nimium rigida, ossescentia, uti pariter aliquoties in seniculis invenimus; inflammationes meningum non bene solutae; abscessus; multaque adhuc alia, quae in sepulchreto *Boneti* fuse reperiuntur. Sed quid de illis in eodem sepulchreto collectis historiis sentiendum, ubi lumbrici, aliique vermes, cimices, et, si diis placet, etiam scorpiones intra humana crania reperti proponuntur, ab iisque dolores capitis repetuntur? Dico, alias historias fidis indigere testibus, alias accuratiori examine, et denuo alias aliter esse accipiendas. Nam in historia ex *Fernelio* in sepulchretum relata, si eandem apud ipsum *Fernelium* legeris, videbis vermes illos duos non intra, sed extra cranium fuisse, in recessibus videlicet narium repertos; in his quippe narium recessibus, quos sinus frontales appellant, vermes crescere non raro, idque in ovibus prae homine et alio animali saepius contingere, observationibus et dissectionibus constat; vermes ibi nidulantes rodendo vellicandoque dolores capitis afferunt in dicto animantium genere frequentius, aliquando etiam in homine. Via ex naribus in cerebrum ex nerveis fibris, et vasis, et membranis obsepta omnem vermibus, ac quibuscunque aut insectis, aut alienis corpusculis aditum prohibet. Paucissimi casus exstant, ubi os ethmoidis erosum deprehensum est, ut adeo ex naribus via ad cerebrum pateret. *Valsalva* ovem dissecuit, ceterarum consortium fugientem, cir-

circumvolutam saepius, quaeque caput sibi tangi haud ferebat. Emptam *Valsalva* dissecuit, et os ethmoidis erosum reperit, itemque pervium aquae acidulae in cerebro prope os ethomoideum, item folliculum aqua plenum in ventriculo dextro, et cerebrum ibi loci corruptum. Vides ergo, quid et de illis historiis sentire oporteat, ubi fumus nicotianae, aut pulvis eiusdem cerebrum penetrasse, enormes capitis dolores attulisse multaque alia mala produxisse perhibetur. Qui talia referunt, videre fors concretiones polyposas, easque lumbricorum figuram referentes pro vermibus habuere. Concrementa varia variorum in cerebro humorum excrementitiorum pro insectis, aut pulvisculis nicotianae minus cautis imposuit. Insecta quidem in sinubus frontalibus saevissimos capitis cruciatus faciunt. Quaesitum de modo, quo illuc haec animalcula pervenire queant. Fieri potest, ut ex intestinis et ventriculo dormientis vermis in nares adscendat, seque intra recessus recipiat; aut fors saepius accidit, ut ovula insectorum variis rebus, v. g. floribus, quos olfacimus, inhaerentia vi inspirationis validioris attrahantur, attracta muco narium inhaereant, ibique excludantur. Utilior quaestio *Henckelium* inter et *Gahrliepium* nota est, cuius naturae, et qua ex parte remedia abhibenda sint, ut e naribus educantur, quae res eo difficilius determinabitur, quod varii generis vermes non *iisdem* remediis aut allici, aut fugari semper possint. Iuvabit, per quae, et quomodo plerique educti fuerint, ex historiis medicis cognoscere, ubi varia anthelmintica, scilicet vaporum, fumorum, odo-

rum, iniectionum forma adbibita fuisse conspicies. Memorat *Boerhavius*, uti videre est in suis praelectionibus ad suas rei medicae institutiones, sanatam abs se puellam, cuius sinus pituitarii vermibus scatebant. Quoniam autem ut plurimum sinus frontales incolunt, quod prima ac praecipua molestissimi doloris sedes cum sensu praesertim rodentis, seque moventis bestiolae saepenumero coniuncti, in alterutrius sinus regione indicat; idcirco *Littrius*, si nihil alia omnia auxilia prodessent, ad chirurgiam denique nec difficilem, nec periculosam in osse frontis deveniendum esse censuit. Arbitror *Littrium* hic terebrationem ossis frontis intellexisse, qua olim usus *Caesar Magnatus* fuerat, qui terebrato ad sinum usque osse, et verme, quam inesse praedixerat, magna cum adstantium admiratione educto, sic dolorem ad alia omnia rebellem feliciter abegit. Verum utinam ea esset vulneris hic terebrati claudendi consanandique facilitas, ac in aliis plerisque cranii regionibus solet. Sed quam difficulter apertus hic sinus claudatur, iam olim *Cornelius Celsus*, et post eum complures praestantissimi chirurgi adnotarunt.

Dolores capitis stata hora redeuntes saepenumero ab obstaculo continuo praesente proveniunt, ea lege, ut etsi angustatus humorum alicubi meatus semper sit, tamen ubi certis temporibus ad loca haec arctiora maior humorum motus appellit, dolor aut redeat ex toto, aut praesens iam augeatur. Dolores eiusmodi, et intolerabiles hemicranias quotidie mane stato tempore redeuntes tenui lignorum decocto, quod modice agitatis et impulsis cir-

cum-

cumeuntibus succis sudores blande movisset, aliquoties *Ballonius* feliciter sanavit.

Dolor capitis venereus ad idiopathicos pertinet, materies enim venerea, acris, corrosiva meninges stimulans, item spicula ossea in venereorum cranio saepe nasci solita, et pungentia, prementiaque; caries tabulae internae, sanies ibi nata, illuc delata sat faciles huius doloris venereorum explicatus snppeditat. Noctu gravior est, mitior aut subinde nullus interdiu; gravior si aegri decumbant stragulis probe tecti; mitis aut nullus si aëri frigidiori expositi duro incumbant pavimento, caveantque ne intra dormiendum incalescant. Id hic moneo, ne dolores omnes noctu ingravescere solitos, sive capitis solius, sive artuum, statim venereos esse aut suspicemur, aut pronuntiemus. Multi rheumaticorum, arthriticorum absque omni veneris labe noctu acerbius dolent, etsi inter hos ipsos non pauci sint, quibus nox, vel potius lecti calor dolorum solamen affert. Praeterea plerique pictonum colica laborantes noctu gravius infestantur dolore rheumaticum aemulante; eos facilius venereos quis arbitraretur, quod et difficilem stranguriosumque mictum experiantur.

Dolorem capitis alium diximus *sympathicum* ubi alia extra cranium locata pars affecta est, et dolorem capitis ex consensu, ut aiunt, efficit. Physiologicam huius consensus rationem hic non moramur; sufficiat nobis, dari huiusmodi dolores capitis causam extra cranium agnoscentes: sic quibus bilis in ventriculo fluctuat, aut acida, acido-austera, pinguis,

ran-

rancida materies praecordia occupat, non raro lancinante dolore vexantur; qui vel alterutrum latus, vel utrinque tempora infestat, adeo gravis, ut aegri vix attollere oculos, et lucem pati possint, aut ut ab adstantibus caput sibi vel manibus, vel etiam funiculo arcte stringi curent, atque inde levari sese asserunt. Multi sunt, qui mane solum, atque ieiuni dolorem hunc experiuntur, donec materies in ventriculo fluctuans superingesto aut cibo aut potu permisceatur, enervetur, obtundatur. Dolor hic capitis febrium biliosarum individuus fere comes est. Sed etiam in sanis ceteroquin, diu ieiunantibus, aut temperamento bilioso praeditis, quos veteres *πικροχολȣς* appellarunt, saepenumero occurrit.

Ad dolores ex consensu ortos schola antiquior clavum quoque hystericum retulit, uterumque primario, dein per consensum etiam caput affici statuebant. Item causam doloris capitis apud viros hypochondriacos in hypochondriis quaesivere. Verum postquam recentiores in causam mali hypochondriaci et hysterici diligentius inquisivere, eamque in Halleriana nimia fibrarum muscularium irritabilitate repererunt, quam vel minimus, atque etiam spiritualis, ut ita dicam, stimulus in actum deducit, motusque inordinatos excitat, saepius erit et vitium ipsius capitis, et universale simul totius systematis nervosi.

Cephalalgia, aut hemicrania periodica subinde est, et ad febres larvatas pertinet, aut omni mense redit. Habuimus in chirurgo ante annum talem omni die redeuntem cephalalgiam.

Pro-

Prognosin si medicus ad curandum capitis dolorem accersitus formare debeat, summa cautione opus est, ne in spondenda curatione, quam forte facilem aestimat, nominis infamiam incurrat. Equidem si quispiam integra prius valetudine fretus, ob causam evidentem et fortiorem, vini meracioris potum, venerem, exercitia immoderata, in cephalalgiam, licet nonnihil validam, atque aliquamdiu protractam inciderit, secure praenuntiare possumus, quod, cum procatarxis nondum firma iacta sit, affectus hic satis tutus, et minime pertinax futurus sit. Sin vero dispositio morbosa *inveterata* fuerit, ita ut accessiones doloris sua saepe sponte, quin illa superius enumerata *causa evidens et fortis* praecesserit, redeant, sique a levi quadam causa repetant, difficillimum curatu morbum, etsi fors *non periculosum*, iure praedicito. Therapeia horum dolorum adhuc difficilior erit, si affectionum hypochondriacarum aut hystericarum symptoma is dolor sit, cum uti ipse morbus princeps, ita et dolor ab eodem dependens omnem plerumque medelam eludat, et medicis crucem figat.

Dolorem capitis venereum uti recentem curamus facile, ita inveteratum plerumque immedicabilem iure praedices. Recens enim causam in fluidis inquinatis, acribus, et solida stimulantibus habet, et medelae requisitae hoc fluidorum vitium obtemperat. Verum inveteratus dolor a venerea origine ortus solidorum vitio alitur; caries, exostoses, spicula ossea pungentia, membranarum coalitus, arctiores meatus, et mille alia mala nulla ratione auferenda immedicabiles hos dolores afferunt.

Cu

Cura cephalalgiae et cephaleae ex notione causarum colligenda est, quae uti quam maxime variae sunt, ita et medela varia est, atque in aliis alia. Hinc multos iuvant venae sectiones in vena iugulari, in brachio, in pedibus institutae; hirudines ad tempora, post aures, ad partem dolentem ipsam adplicatae; scarificationes occipitis, quas *Waltherus* magni facit in peculiari super hoc argumentum dissertatione; rasio capitis, et ablutio cum oxycrato; epispastica, vesicatoria, vapores naribus hausti, errhina, purgationes antiphlogisticae, quin et purgationes mercuriales, saepe repetitae; clysmata, pediluvia, diluentia, vel et acria, stimulantia, attenuantia, moventia, alterantia.

Iuvat hic quaedam remedia celebratiora contra dolores capitis varios commemorare. Laudatae fuere quaedam herbae, quas ob hunc ipsum usum cephalicas, quasi caput corroborantes diceres, appellaverunt: salvia, ros marinus, lavendula, marum syriacum, quae blando videlicet stimulo, multa aqua diluto, lentescentes humores agitant, circumducunt, et per diaphoresin educunt. Patet hinc, quis, et ubi horum cephalicorum usus sit.

Arteriotome multis laudabatur. *Chesnau* egregios vidisse effectus a secta in temporibus, vel ad aurem arteria, in doloribus capitis antiquis et pertinacibus testatur. Arteriotome iam a veteribus magno in pretio contra rebellem cephalaeam habebatur. Ligatura arteriae a medicis modo rarius, sed frequentius a veterinariis instituitur, eamque ad curandos in

equo-

equorum tibiis tumores perefficacem asserunt. Hi, veterinarii nempe, arteriam, qua materies ad partem affectam confluit, tumoremque attollit, excipiunt, et ligant; interim, quae impacta fuit materies, partim resorbetur a proximis venis, partim alia ratione difflatur. Fors sectio arteriae solum eatenus subinde iuvat, quatenus arteria secta fortiter ad subiectum os apprimitur, unde parietes arteriae ita coalescunt, ut nullus, aut exiguus posthac ibi loci sanguinis transitus, hinc minor ad locum dolentem affluxus amplius fiat; sicque dolor capitis aliorsum directo humorum fluxu sopiatur. Haec arteriae sectio in ophthalmia pertinaci non raro profuit. *Hervaeus* methodum veterinariorum, qua scilicet arteriam ad tumores pergentem ligant, aliquoties adhibuit, idque exoptato eventu in tumoribus strumosis ac scirrhosis. Ceterum arteriotomen contra cephalaeam in foemina 40. annos nata, post abortum nulla menstrua habente, adhibuit *Lazarus Riverius observ. 56. centur.* 2. Arteriotomen adhuc suadent *Andr. Lampertius*, *Paraeus*, *Vesalius*.

Aliud remedium multum adhibitum contra rebelles cephalaeas est *salivatio mercurialis*. Mercurium tollere cephalaeam veneream constat, modo vitium in solis adhuc humoribus sit. At cephalaeas venereas a nodis, tophis, spiculis osseis membranas pungentibus, carie ec. non tollit mercurius, aut non nisi rarissime; etsi enim miasma venereum mercurio exstingui possit, manent tamen vitia solidorum ab ipso hoc venereo, et rodente miasmate producta. Sed in cephalaeis etiam non venereis usum mercurii ad salvationem usque propinati

pinati profuisse monumenta medica abunde testantur. Credo salivationem tunc profuisse, ubi scrophulosa, tenax materies tum varias in corpore glandulas, cum et caput praeprimis occupavit, et pertinacem cephalaeam produxit. Item ubi lympha variis acrimoniis, herpetica e. g. aut scabiosa conspurcata fuit, mercurium, salivationemque eo excitatam iuvisse, facile capimus; nam longa haec evacuatio lympham acrem spissamque solvit, et solutam eliminat.

Vesicans toti capiti derasis capillis adpositum profuit in rebelli cephalaea, orta a serosa colluvie. *Lazarus Riverius observ* 37. *cent.* 1.

In cephalalgia ab eadem causa profuit setaceum: apud Fabric. *Hildanum observ.* 37. *cent.* 1.

Ipsa terebratio, sive trepanatio in pertinacissima cephalaea aliquoties adhibita fuit. *Ludovicus Duretus* in adnotationibus ad *Iacobi Hollerii* librum ait, se per terebrationem in plerisque cephalaeam curasse. Narrat ibidem casum hominis diuturna et rebelli cephalaea laborantis, cui cum totum caput doleret, locus causae morbificae nesciretur, derasis capillis admoveri curavit cataplasma; post aliquod tempus removit, atque in qua parte magis desiccatum apparuit, ibi perforari cranium iussit. Ut primum ad diploem venerat, profluere coepit materies coloris, et consistentiae melleae; erat igitur intra utramque μελεκηρις. *Io. Rhodius observ.* 69. *cent.* 1. narrat pariter curam cephalaeae atrocis in iuvencula patavina cum exoptato eventu institutam, ubi membra-

nis

nis cerebri pauxillum puris incubuisse deprehendebatur.

Dolores venerei capitis, qui non a simplici humorum acrium labe, sed a vitio organico proveniunt, non tolluntur, nisi trepano. Factum id cum emolumento est aliquoties a *Petro de Marchettis*.

Willisius aliud remedium multis profuisse asserit, sic enim ait: multis utile fuit tempora, frontem et synciput quovis mane et vespera frigida perfundere, imo totum caput omni aurora per antliam aqua frigida embrocare, aut saltem intra vas profundum aut putheum immergere. Idem auctor multis encomiis effert succum millepedum expressum.

Rasio capitis. Hirudo ad tempora, anum. Scarificatio occipitis. Valeriana. Cortex ec.

VERTIGO.

Δεινος graecis rotatio est, aut potius saltus in gyrum, medicis vertiginem, id est obiectorum circumcirca positorum rotationem sonat. Cum autem, qui vertigine corripiuntur, mox ab obiectorum rotatione omnia nigra vident, hinc hanc affectionem σκοτοδινον dixerunt, ac si tenebricosum vertiginem diceres. Affectionis huius symptomata *Hippocrates* explicat, dum is libro de vulneribus capitis persaepe ait: *cepit hunc vertigo, tum caligo, tum cecidit*. Utut vertigo cephalicorum morborum symptoma potius, quam morbus sit, tamen iuvat quasdam eius causas praecipuas enarrare, ut perspecta eius origine morbum principem, cuius prodromus vertigo est, feliciter, atque adhuc in tempore averruncemus. Sic e. g. causae quaecunquae apoplexiferae, priusquam grave

ve hoc malum excludant, vertiginem producunt, non indifferentem, et quam aegro impune permittas, sed quae sumptis celeriter incrementis in apoplexiam desinit; huic ex aequo, ac ipsi apoplexiae medeberis. Sunt, qui insultu apoplectico iam semel correpti, ex eo denuo convaluere, quos si vertiginosos fieri convaluere, quos si vertiginosos fieri conspexeris, apoplexiam de novo in procinctu esse, et iamiam ostia pulsaturam merito concludes. Sagax medicus imminentis mali ictum prudens avertet.

Vertigo *plethoricorum* frequens est, et explicatus faciles admittit. Venae sectio, nitrosa, lenes alvi ductiones, hydroposia, victus vegetabilis, exercitia multa, somnus parco malo medelam ferunt.

Vertigo *hypochondriacorum*, *hystericarumque* symptoma, et aegro, et ipsi curanti medico molestissimum plerumque est, omnemque, ut ipse morbus, cuius comes vertigo est, non raro medelam ludit. Plures sunt, inter monachos praecipue, qui ex loco editiori aut sacra facere, aut ad populum dicere ob vertiginem cadendique metum nulla ratione queunt.

Alia vertigo est ex κενεαγγεια, post iacturam gravem sanguinis ex vulnere, abortu, haemorrhagia quacunque; item convalescentium. Hos iuvat prudens, lenta repletio, et medicamenta invigorantia dicta, roborantiaque. Iactura nimia seminis gravissimas et saepe insanabiles vertigines facit, tunc praecipue, ubi semen turpissimo vitio, quod vinculum illud, quo sexus sexui iungitur divellit, et licitae vene-

veneris taedium ingenerat, manustrupatione scilicet effunditur. Alia occasione de morbis ex manustrupatione oriri solitis agemus. Id notasse modo sufficiat, morbos ex hac impura scaturigine ortos aut nunquam, aut vix curari, tum quod ipsa medicatio ob affectum systema nerveum difficilis sit, cum etiam, quod qui semel pravo huic operi insueverint, rarissime eidem in perpetuum valedicant, et occasionem iterandae causae morbificae sibi semper praesentem habeant. Illud quoque hic adhuc addam, curam nunquam a sola pharmacia inchoandam esse; etenim tanta est nervorum per iteratos actus irritabilitas, mobilitas, ευμεταβησια tanta, idearum allicientium vivacitas tanta, tam prompta actionum huc pertinentium successio, ut medicamentorum roborantium nervinorumque usus multum impar sit, quin irritabilitatem ipsam, quae corrigenda esset, vi sua nervina irritant magis. Hinc, nisi totus animus, cogitandi ratio, tota philosophia immutetur, ut aliis ideis, aliis moralitatis principiis imbuatur, et omnino penetretur, nisi quodam quasi enthusiasmo abreptus animus in contraria tendant, in curandis a manustrupatione morbis actum ages. Patet, quam necessarium sit, tum in multis aliis morbis, tum maxime in hoc, ut medicus, dum corpori medicinam facit, animum simul aegrotantis philosophando sanet. Cum hic philosophiam medico necessariam assero, non illam superficiariam, levidensem, et res quammaxime serias ridere, non discutere natam intelligo, sed quae a levitate et ab ignoranti superstitione

ex aequo remota ad rerum examen accingitur.

Vertigo a nimia deperditione lactis non infrequens est, foeminae imbecillae, tenues, parce semper et pallide menstruantes ex lactatione nimia in febriculam incidunt, carnes facile depascentem, modo erroneo, uti ferme in hecticis exacerbari consuetam; quaeruntur respirationem difficilem, et sensum exsiccationis, uti aiunt, ac constrictionis. Adsunt dolores inter scapulas, quasi rheumatici; caput multum vertiginosum fit; viget appetitus, viresque ventriculi coctrices, etsi macriores identidem evadant. Tandem accedit turma symptomatum hystericorum multiplicium.

Hucusque atque ea hac causa aegrotantes foeminas curat sola lactationis intermissio; accelerant sanitatem aegrae nutrientia, *lenia tonica*; decoctum foliorum altheae cum lacte; decoctum salep cum lacte egregium hoc in casu est.

Paucissimae interim foeminae sunt, quae aliquid ex lactatione detrimenti persentiscunt, eaeque non nisi pauperrimae, victu parcissimo pravoque usae, aut morbis antea diuturnis, et consumentibus conflictatae. Inanis nobilium ditiorumque excusatio est, quae ab habitu corporis debili delicatoque contra lactandi obligationem peti solet. Experientia multiplici constat, tenerrimas, maximeque delicatae compagis matres non solum impune suas proles lactare, sed etiam cum insigni emolumento propriae sanitatis. Puerpera prolem lactans nescit gravissima illa a lacte, vel in mammis restitante, vel in circulum humorum regurgitante in-

incommoda, quibus tot aliae non lactantes miserrime affliguntur, ac multoties pereunt. Lactans mater febrem lacteam, depositiones lacteas, miliaria alba, et mille alia mala non experitur. Foemina, quae tantum virium sanitatisque possidet, ut concipere, conceptum retinere, et per novem menses ad tantam molem ex propria sua penu enutrire, ac inter dolores parere valet, an non etiam lactare valebit, quod cum multo minori virium sanitatisque iactura faciet? verum Herculi potius clavam eripies, quam capitosae matronarum, obstetricum, nutricum turmae insanam de lactationis nocumento opinionem. Id turpius est, quod medici non pauci huic praeiudicio muliebri saepenumero suffragentur, atque aliter sentientes, tanquam artis suae ignaros proclament, atque hac ratione se artemque prodant.

Sed aliae etiam rationes sunt, quae matres, ut proprios infantes lactent, persuadeant: 1) repetita graviditas plus nocet, plus enervat: 2) fluor albus chronicus ab intermissa lactatione, cur quae inde sequelae? 4) periculum est, ne infans nutrici traditus luem concipiet: novi pluri exempla; 4) saltem lactet mater per paucos menses, septimanas, dies; 5) institutum naturae nunquam tuto transgredimur. Sed e diverticulo ad viam.

Vertigo alia est, quae graves capitis morbos, phrenitidem, apoplexiam, convulsiones ec. insequitur. Affectio haec non raro in capitis morbis antea exantlatis agmen claudit, atque omnium ultimum valedicit. Morbi praegressi natura te docebit, quomodo et huic incommodo mederi debeas: lenia tonica, vic-

tus restaurans, et tempus ipsum, quod iuxta *Sydenhamum* in multis morbis medicorum princeps est, sanitatem afferunt.

Vertigo quaedam est inebriatorum, sive vino id fiat, sive opio, certe vim inebriantem et humores rarefacientem habente, sive spirituum ardentium potu id fiat. Crapulam qualemcunque potus aquae multus, aceti, aquae spiritu sulphuris per campanam alteratae, vomitus, et ipsa mora tollit, qua sublata etiam vertigo cessat. Alia conditio est in potatoribus, et quibus venae, quemadmodum *Sileno* apud *Virgilium*, hesterno semper Iacho turgent. Hi quamdiu poti sunt, modo id supra modum non sit, vegeti valentesque sunt, absque vertigine et firmo pede gradiuntur, laboribus non quidem mentis, attamen corporis omnino pares. Verum utprimum adscititium illud, atque a Baccho mutuatum robur mora somnoque difflarint, vertiginosi sunt, vacillant membra, tremuntque concidentibus venis, et *κεναγγεια* laborantibus. Hi extra tempus crapulae in florente adhuc aetate senium imbecillum fractumque agunt. His miserrima ulterius potandi necessitas incumbit. Tales non sunt repente desuefaciendi. Idem de illis valet, qui nimium dediti sunt nicotianae fumo per fistulam hauriendo.

Vertigo frequens est a biliosa illuvie systema gastricum inundante; symptoma hoc in febribus biliosis, ubi materies circa praecordia collecta turget; et excretioni iam apta vomitum molitur.

Verminosorum vertigines ad leipothymias usque

usque notae sunt; eandem ac ipse morbus princeps medelam expetunt.

Vertigo eorum, qui *navi* vehuntur, aut in carpento aversa facie feruntur; qui ex alto despiciunt, corpora in gyrum acta conspiciunt, facile praecavetur ve assuetudine, vel si is, qui e. g. motu retrogado fertur, oculis clausis vehatur.

Vertigo post longam inediam, corpore keneangeiam patiente curatur repletione.

Qui gravi tristitia oppressi diu noctuque certae cuidam contristanti ideae inhaerent, vertiginosi evadunt. Vertigo a nimio mentis exercitio. Studia intemperata, nocturna vertiginosos reddunt. Idea, circa quam diu noctuque mens rotatur, uti post auditum tristem nuntium, iacturam qualemcunque gravem, infortunatos amores, aegros primum vertiginosos, dein melancholicos, quin et maniacos facit. Cura perdifficilis est, et studiis nimiis sepositis, animi relaxatione, aëre campestri, et recreationibus ruris, venatu, piscatu, equitando, grato amicorum colloquio, cortice, gummi ferulaceis, et subinde parco, ac socratico vini usu perficitur. Ideam vero menti altissime infixam obscurare, delere oportet per aliam oppositam, et validius afficientem ideam, donec illud mentis aequilibrium obtineatur.

Hac ratione idea ideam tollit, quemadmodum dolor vividior arte excitatus dolorem alibi existentem obscurat, tollitque.

Vertiginem ab esu venenatorum fungorum, aut aliorum vegetabilium promptum vomitorium, vel ex vitriolo albo, vel ex tartaro emetico momento sanat.

Vertigo a *fumo carbonum* et ipsa adeo apoplexia saepenumero observatur. Carbones duplici ratione nocent: 1) vim aëris elasticam minuunt insigniter, unde homo in tali cubiculo conclusus anxie difficillimeque respirat, uti avicula sub antlia pneumatica. Hinc aboletur respiratio, eximium illud sanguinis in circulum agendi adiumentum, influxus eiusdem a capite tardior fit; accumulatus intra cranium sanguis vertiginem illam plethoricorum, et apoplexiam *sanguineam* producet; 2) ratio, quare fumus carbonum noceat, haecque capitis mala producat, est, quod cum oleum empyreumaticum carbonum accensorum evolvatur, attenuetur, diffletur, et aëri commisceatur, non tantum aëris elasticitatem dicto modo enervet, sed quod oleum hoc cum aëre et saliva deglutiatur ore haustum. Iam vero constat, hoc oleum vi narcotica, stupefaciente, sive sanguinem versus caput urgente, rarefaciente; irritabilitatem fibrarum torpefaciente praeditum esse. Hinc in vertigine ab hac causa; itemque in apoplexia inde nata (iuvat enim ob causae identitatem apoplexiam a fumo carbonum pertractare, etsi paulo post peculiari paragrapho de apoplexia in genere et specie simus dissertaturi); in vertigine igitur et apoplexia inde nata indicationes erunt 1) plethoram capitis cerebrum prementem tollere institutis evacuationibus sanguineis; 2) aërem elasticum admittere; 3) sufflaminatum sanguinis circulum denuo resuscitare. Primae indicationi satisfacient venae sectiones, scarificationes nuchae, occipitis, sectio iugularis venae, arteriotome

ec,

ec. Item potus aceti aqua diluti, sive posca, succus citri, aqua acido vitrioli alterata, et quaecunque orgasmum sanguinis rarefacti componunt. Praestantissimum et euporistum remedium est posca; acetum enim epotum, uti quotidie in iis experimur, qui circa prandii finem lactucam multo cum aceto assumunt, pallorem subitaneum inducit, et sanguinis orgasticum motum compescit. Sed et altera indicatio urget, aërem renovandi. Illico deportandus aeger in aërem liberum, lustranda cubicula sunt fumo aceti bullientis, et supra ferrum candens fusi, iuvatque corpus aegrotantis recenti cespiti exponere. Sed qua ratione sufflaminatus humorum motus denuo concitari poterit? quomodo sopitae et stupefactae ventriculi ac intestinorum fibrae suscitabuntur denuo? varii varia tentant. Sunt qui vim narcoticam olei carbonum cum saliva deglutiti aceto poto enervant; constat acida omnia venenis huiusmodi inimica esse. Alii non contenti aliquantum vim venenatam enervasse, eandem etiam quantocyus eliminant, dato promptissimo emetico ex drachma β. vitrioli albi, cum oxymellis squillitici unc. ij. agitatio ab emetico concitata inter vomendum mucum, eique inhaerentem vim venenatam excutiet, torpidas systematis gastrici fibras in motum concitabit; pulmones vicinos hoc ipso motu ab accumulato ibidem sanguine liberabit, inde machina humana suos motus de novo ordietur. Methodus haec insignis est, et requisitae indicationi exacte satisfacit, dummodo sufficiens sanguinis quantitas antea detracta sit, et cerebri pressio hac ratione imminuta. Certum est

enim solam methodum antiphlogisticam, quae sanguinem demit, non sufficere; haec quidem plethoram minuet, at illud sanguinem rarefaciens, illud stupefaciens venae sectione non excutitur ex ventriculo, sed emetico. Alii, et plerique moderni hic quoque clysma ex fumo nicotianae adhiberi volunt, et multis hanc praxin encomiis celebrant. Verum vereor, ne quidquid boni a tali clysmate obtinetur, soli id eiusdem stimulo debeamus. Hoc si sit, uti non dubito, tutiores habebimus stimulos, quam quos fumus nicotianae suppeditat. Etenim nicotianae planta maxime narcotica, fumus nicotianae aut nimius ore per fistulam haustus, aut ab inassuetis ipsemet oleo illo narcotico in ventriculum cum saliva deductus, torpidos, vertiginosos, quin et apoplecticos reddit. Fumus ita haustus vim ventriculi et intestinorum irritabilem stupefacit; inde est, quod a pauperibus, rusticis, militibus fames et sitis fumo tollatur, qui homines vere αδιψȣς et ασιτȣς facit. Verum quidem est, fumum per alvum per modum clysmatis immissum minus narcoticum esse, et multum simul stimulare. Nihilominus cum enemata alia stimulantia prostent magis indicata, iis potius, quam hoc fumo utendum arbitror. Multus interim et eximius fumi usus subinde in ileo est, ubi aliae partes intestinorum irritatae convulsaeque componi, et itidem aliae eorundem stimulari debent.

Vertigo ut et apoplexia a cubiculo recenter incrustato, et exhalationibus calcis, item a musto fermentato inde est, quod elasticitas aëris calcis et fermentantis vini vaporibus tollatur;

latur ; hinc dispnoea primo et asthmatica respiratio, circulus sanguinis primo per pulmones difficilis, dein et per reliquum corpus ; refluxus tardior a capite, affluxus sanguinis interim ad caput continuatus ob vim arteriarum contractilem ; inde apoplexia sanguinea nascitur. Hoc in casu ea omnia conveniunt, quae supra contra apoplexiam a fumo carbonum laudabantur, si modo emeticum excipias hisce in circumstantiis maximopere nocivum. Etenim hic nihil est, quod ex ventriculo excutiendum foret.

APOPLEXIA.

Sensim et non advertentes ad alium capitis morbum, curatu difficillimum, ad *Apoplexiam* delabimur, de qua impraesentiarum sermo fiet.

Apoplexia ab αποπλεττω ferio, percutio, sic dicta, est ablatio subita, integra sensuum externorum et internorum, motuumque voluntariorum omnium, respiratione et pulsu perdurantibus, saepeque auctis ; superstitibus functionibus, quae a prioribus immediate dependent.

In definitione apoplexiae mentio solum fit functionum vitalium et animalium, neutiquam autem animalium. Statum hunc functionum naturalium in apoplecticis apud plerosque auctores omissum, non descriptum videmus. Ratio est, quod varii apoplectici circa functiones naturales varie, et non ad unum omnes modum se habeant. Etenim quidam apoplecticorum deglutiunt, alii minime ; alvum multi vel suapte vel arte habent. Urinam mittunt

tunt non pauci; aliqui nec alvum, nec urinam mittunt. In nonnullis vel utrumque, vel alterutrum latus resolutum est: Notamus praeterea apoplexiae vocabulum veteribus, *Hippocrati*, *Araeteo*, aliisque non illam universalem resolutionem, illum corporis et mentis stuporem semper denotare, sed subinde de sola unius partis resolutione, vigente interim animo, reliquove corpore usurpari; id quod ad intelligendos veterum libros nosse pernecessarium est. Verum nos hic, eum vocis huius sensum accipimus, qui ipsis his scriptoribus communior fuit. Antequam ad morbi huius gravissimi pertractationem nos accingamus, monendum adhuc arbitror, magnam a schola veteri confusionem in studium medicum circa capitis morbos inductam esse, quod uni eidemque quoad essentiam apoplexiae tot tamque diversa nomina indiderit, ut tyrones medici totidem diversos esse morbos, quot nomina fuerint, arbitrentur. Idem hic veteres fecere, quod is faceret, qui diversos e. g. eiusmodi peripneumoniae gradus, aut diversa eiusdem morbi accidentalia symptomata diversis pariter nominibus insigniret.

Multiplex apoplexiae divisio est: 1) a materia morbum producente, alia est *sanguinea*, quam abundantia boni sanguinis generat; alia ex abundantia succorum pravorum nata *serosa* dicitur, item *pituitosa*, prout vel aqueae, vel glutinosae acresque particulae abundarunt. Secundo alia est apoplexia nulli speciali nomine notata, quae non ex abundantia, sive bonorum,

si-

sive pravorum succorum oritur, sed ex defectu sanguinis ad corticem cerebri adpellentis, aut ex defectu materiae talis in sanguine, ex qua spiritus ope fabricae cerebri generantur.

2) Alia divisio *Hippocratis* est in *ισχυρην και ασθενεα*, fortem et debilem. Utilis haec divisio non ad diagnosin, sed ad prognosin est, cum ex *Hippocrate* impossibile sit, *apoplexiam fortem solvere*, et difficile *debilem*.

3) Tertia divisio est in *hystericam* sive *hypocondriacam*; quamvis non adaequato vocabulo ita denominetur. Etenim haec ipsa species apoplexiae in multis aliis, ut in infantibus e. g., utpote nec hystericis, neque hypochondriacis frequenter observatur. Meliori fors iure, et latiori sensu *apoplexiam nervosam* diceres.

4) Aliam appellant *periodicam*, ubi insultus apoplecticus per modum febris intermittentis redit. Sunt qui etiam epidemicam apoplexiam statuant.

5) Aliis alia divisio placet: in *idiopathicam* et *sympathicam*; *frigidam*, *calidam*.

6) Ulterior divisio apoplexiae est ex vario eiusdem mali gradu et invasione petita. Hinc alia apoplexiae species dicitur *παραποπληξια*, id est *ferme apoplexia*, aut *apoplexia levior*. Haec plerorumque definito est. Verum *Hippocrates* et eius antiquissimus commentator *Galenus* has voces *paraplegiam*, *parapoplexiam* accipiunt pro *levi alicuius partis sideratione*, sive paralysi. Sic e. g. *Hippocrates* libro 1. de morbis vulgaribus, historia 13. ait: mulierem, quae decumbebat in littore, prehendit febris valida; manu dextera paralytica facta est cum

spas-

spasmo, παραποπλεττικον τροπον, id est more apoplectico, more levioris syderationis. Recentioribus vero parapoplexia est ea apoplexiae species, quam alias alio nomine compellavit Hippocrates, et apoplexiam *ας̧θενεα*, seu *debilem* dixit. In parapoplexia magno clamore, contrectatione, vellicatione, puncturis, superstitis humanitatis scintilla exsuscitatur. Manet in parapoplecticis illaesa deglutitio.

Paraplegiam, quam ab Hppocrate et Galeno cum parapoplexia, et utrumque cum paralysi confusam supra dixi, recentiores clarioris doctrinae gratia dicunt *apoplexiam totius corporis excepto cerebro*. Oritur haec *paraplegia* a causis tum *externis*, cum *internis*. *Externae* sunt vis illata, vulnera medullam a cerebro et cerebello per thecam vertebrarum productam laedentia, contusiones, lapsus ab alto, luxatio epistrophaei cum atlante. Causae *internae* hunc morbum subinde producunt: uti e. g. materies aut sanguinea, aut serosa, aut aliae quaecunque in specum vertebrarum colli effusa, et medullam prementes. *Paraesis* multis cum leviori apoplexia, quibusdam cum paralysi confunditur. Est autem iuxta *Duretum*: *exsolutio partis cum segnitie et torpore*, id est, *torpor musculorum, nondum perfecta paralysis*.

Anaesthesia gradu et accidentaliter a prioribus differt. Verum si vim vocis spectemus, erit *defectus facultatis sentiendi*. Recentiores anaesthesiam adesse dicunt, si in parte quadam corporis facultas tactus deficiat.

Carus est apoplexia calida, sive sanguinea levior, quae in perfectam sanitatem abit, si curetur, nullumque sui vestigium relinquit.

Haec

Haec species obtinet subinde in ebriis, qui aliquando a medicis pro apoplecticis habentur; verum ubi hesternum Bacchum evomuerunt, perfecta denuo valetudine utuntur. De his *Wepferus* asserit, eos dato emetico in apoplexiam gravem non solvendam incidere. Hinc si quid fieri posset, irritandae fauces essent mediante plumula, ut vomitus absque turbis excitetur.

Coma comatodes, seu *coma somnolentum* est perpetua et insuperabilis in somnum proclivitas, cum assiduo in eum post excitationem relapsu. Est species *levioris cari*, sive *levissimae apoplexiae*, sive potius inchoantis apoplexiae. In acutis inflammatoriis hoc symptoma frequens.

Coma vigil, sive coma αγρυπνωδες est saepe continua in somnum proclivitas cum perpetua a terribili insomnio excitatione. Adsunt causae apoplexiae calidae, etsi levioris; adest simul continuus stimulus a causa inflammatoria plerumque productus. In acutis inflammatoriis hoc symptoma aeque multoties observatur. *Willisius* libro de morbis convulsivis c. VIII. descripsit febrim epidemicam γευρωδες appellatam ab auctore, ubi uti quosdam lethargicos, ita multos comatosos fuisse observatos asserit, e quibus plurimi materia morbifica a capite ad pectus translata convalescebant. Idem auctor historiam hortulani febre putrida laborantis refert. Is circa morbi ακμην loco criseos in veternum incidit per 3—4 dies continuatum; nullis remediis excitari poterat. Tandem *Willisius* raso toto capite emplastrum vesicans applicuit, unde prolecta ingenti materiae quanti-

tate

tate sensus, et tandem longo post tempore sanitas rediit.

Lethargus vi vocis iners oblivio, Latinis *veternus*, est somnus difficilis excutiendus, cum pallore et tumore flatulento, atonia. Morbum tunc ad apoplexiam frigidam referunt. Huc pertinent febres lethargicae; lethargus in febribus malignis. *Hippocrates* videtur morbum pectoris, non autem capitis, intellexisse sub natura lethargi, cum in *coacis* servari ex lethargo eos dicat, qui purulenti evaserint, et pus sputaverint.

Καταφορα gravis est in somnum delatio, parum aut nihil a comate differens.

Ad lethargum et cataphoram pertinet somnus diuturnus, qui ideo solum morbosus est, quia *diuturnus*. *Academia regia Parisina* ad annum 1713., p. 419. historiam hominis refert, qui 45. annos natus, vino deditus, et temperamento sicco ac robusto fuit. Is ex ingenti terrore in somnum duorum mensium incidit. Decubuit toto fere tempore in nosocomio a charitate nuncupato, nullum animalis actionis signum edidit, oculis toto illo tempore firmiter clausis; brachium, uti in homine cataleptico, eo in situ diu mansit, quem illi dederis. Nil ipsi ingeri potuit, praeter pauca vini cochlearia, quo solo vita sustentabatur. Foeces et urinam vel in lecto, vel sedili, ubicunque forte fortuna fuerit, inscius misit. Excitantia omnis generis adplicata; excitantia valida nil effecere, nisi quod die quodam per intervalla loqui inciperet, quo exacto demum in somnum

in-

incidit. Mense tertio et quarto per intervalla signa quaedam sensationis dedit, atque ad lecti crepidinem se movit urinam et alvum redditurus. Deglutiit denuo alimenta ipsi in os imposita, maxime vinum. Maceratus et summopere extenuatus. Exacto quarto mense, postquam omnia inutiliter essent adplicata, hominem hunc in piscinam aquae frigidissimae proiecerunt; inde prima vice oculos aperire et fixe intueri coepit; tandem sensim loqui absque remediis ullis, et melius animo atque corpore habere.

Hombergius legit in academia ad annum 1707. litteras de rustico quodam, qui ex moerore et trium mensium melancholia incidit in somnum sex mensium, tandem evigilat, loquiturque; verum post viginti quatuor horas in eundem somnum incidit, qui quamdiu duravit, non notatur. Scimus ex historia animalium, quaedam animalia per menses integros dormire, et sola sua pinguedine, ut videtur, nutriri.

In transactionibus anglicanis refetur homo 25. annorum, sanus et robustus, qui ex nulla nota causa cadit in somnum unius mensis; dein evigilat, induit se, atque ad opus suum properat. Exacto biennio denuo dormit per 17. septimanas. Omnia artis adminicula fuere frustra exhausta; tandem sponte evigilat, sed credere non vult, se tamdiu dormivisse, nisi praesens messis tempus ipsum de rei veritate convicisset. Post annum denuo, sed longius adhuc dormit. Omnia excitantia, eaque acerrima adhibebantur, ut certo constet, an nulla fortassis fraus subesset.

Incubus sive *Ephialtes* huc quoque pertinet, quum et haec affectio apoplecticum quid referat, eamque subinde antecedat. Incubi paroxysmus fere tantum inter dormiendum ingruit; plerumque post stomachum cibis disseptis gravatum, et supinum in lecto decubitum excitari solet. Eo laborantes potissimum in pectore, et circa praecordia noxam sentire videntur; nam respiratione suppressa aut plurimum impedita se a pondere quodam thoraci incumbente opprimi putant, quod quidem pondus imaginationem sub hac, vel illa forma ludit, donec post diutinam subinde luctam somnus, insomnium, et sensus incumbentis ponderis excutiatur.

Affectus hic in iis, qui ad apoplexiam praedispositi sunt, magni momenti est, et imminens periculum portendit. In pueris vero, in infantibus frequens ephialtes est, idque a vitiosa materie ventriculum et intestina gravante, vellicanteque: lac coagulatum, acidum in ventriculo infantis, pituita, pulmentum ventriculum replens, uti a nutricibus misellis his vel invitis ingeri solet, vermes vellicando viscera abdominis, ibique spasmos producendo sanguinem versus encephalon copiosius determinant; item ventriculus nimium distentus aortam premens, et minus sanguinis ad inferiora, plus ad superiora urgens, topicam quasi plethoram in capite faciunt, unde cerebri quaedam pressio, et eis affectus nascitur, quem *Incubum* appellamus.

Omnes hi morbi aliquid apoplectici habent, easdemque agnoscunt persaepe causas; quin imo alii adhuc capitis et nervorum mor-

bi,

bi, etsi multum ab apoplexia differant, tamen ex iisdem ac apoplexia causis oriuntur, ut e. g. convulsio et spasmus multiplex, epilepsia, catalepsis, chorea S. Viti, etc. etsi difficillimum, imo nobis adhucdum impossibile sit rationem reddere, quare eadem causa in uno apoplexiam, in alio epilepsiam, in alio tetanum effecerit. Verum de hisce morbis, etsi easdem cum apoplexia causas habeant saepissime, tamen postmodum singulatim agemus.

Superest, ut de *Apoplexia infantum* peculiariter agam. Morbus infantibus frequens, modo *epilepsia infantilis*, modo autem *apoplexia infantilis* appellatur. Nominis diversi ratio est, quod morbus hic subinde in solo quodam apoplectico infantis statu consistit, subinde autem a convulsionibus atque insultu vere epileptico ordiatur, et dein in apoplexiam, tandemque in mortem transeat. *Eclampsia* ab *Hippocrate* vocatur.

Eiusdem morbi variae causae sunt, quas probe oportet nosse, ut aptam medicus medicinam faciat; potissimae autem mali huius causae sequentes sunt:

1) Meconium in ventriculo et intestinis neonati infantis restitans. Id acri suo stimulo innumera mala, et inter haec convulsiones et apoplexiam infantum excludit. Non agam hic loci de methodo morbis infantilibus medendi; hinc praecipua solum et causarum et curationum capita attulisse sufficiet.

2) Causa eclampsiae alia est lac coagulatum, colostrum lactis acre et acidum redditum. Difficile explicatu est, quomodo acria

ventriculum et intestina stimulantia caput, et originem ipsam nervorum afficere queant; fors, quod vasa abdominalia constringantur spasmis ab acri materia inductis, sive meconium id sit, sive colostrum lactis; vasis vero ita constrictis minus per abdomen sanguinis feretur, plus vero intra cranium urgebitur, ut adeo sublato humorum aequilibrio cerebrum ab affluente sanguinis copia pressum morbum hunc exhibeat: fors consensus quidam non explicatus intercedit. Verum sive a prima illa causa, meconio scilicet, seu a secunda, nempe a lacte colostrato malum hoc generetur, cura primaria erit stimulum acrem intestina vellicantem partim enervare, obvolvere, partim eliminare. Enervat oleum amygdalarum dulce, recenter et frigide pressum, eliminant accommodata purgantia. Iuvat hoc in casu purganti syrupo saepius propinando oleum adiungere, simul repetitis clysmatibus materiam morbi deorsum evacuare; praeterea cum pueri, quo iuniores sunt, eo facilius vomant, atque longe tutius ac adulti, iuvabit in hisce aegris vomitum methodo convenienti movere.

3) Tertia causa morbi huius epileptici in infantibus persaepe est lac in corpore nutricis adhuc alteratum, depravatumque, quacunque demum ratione id fiat: lac nutricis miasmate venereo, scabioso infectum; lac ab irata vel ebria nutrice propinatum, lac terrefactae nutricis morbum hunc infantibus affricat. Iuvant abdominis fomenta, alvus mota oleosis iuncto purgante stimulo, vomitus, clysmata, et mitissima anodyna, diacodiata.

4) Quarta causa apoplexiae infantilis est difficilis dentitio. Qui difficulter dentiunt, iis per glandulas salivales plurimum humoris salivalis prolicitur, ob irritationem videlicet, quam oris et oesophagi glandulae ab inflammatis, tensis gingivis patiuntur. Salivalem hunc humorem copiosissime in fauces affluentem infantes deglutiunt, subinde vomitu reiiciunt, deglutitam hanc materiam alvo fluente ac diarrhaeica eliminant. Quod si alvus non fluat, sed compressa maneat, difficillime habent, convelluntur, et apoplectici non raro moriuntur. His oportet ilico alvum solvere. Verum si alvus sponte iam, sed immoderatius fluat, diuque, exhauriuntur miselli, et ex inanitione vasorum epileptici, atque apoplectici moriuntur: his cauta dosi narcoticorum oportet alvum sistere. Verum mali fomitem suffocat sectio gingivarum et membranae tensae inflammataeque, sub qua dens absconditus exitum molitur.

5) Quinta causa est materies variolosa, morbillosa, scarlatinosa adhuc intra corpus conclusa, atque eruptioni proxima. Minus periculosa eiusmodi accessio apoplectica est, cum sponte facta eruptione solvatur. Subinde tamen contingit, ut cerebrum insultu apoplectico ita laedatur, ut aeger aut pereat, aut tristes morbi reliquias, e. g. balbutiem, syderationem alicuius partis etc. memoriae defectum patiatur, aut stupidus et bardus maneat.

6) Sexta causa apoplexiae puerorum sunt vermes. Mira, atque numero propemodum infinita symptomata a vermibus nasci solent.

Epilepsia verminosorum frequens est, nec multo rarior apoplexia ab eadem causa. Nondum exacte constat, qua ratione vermes intestina rodentes apoplexiam inducant. Verum missis his huius phaenomeni explicationibus videamus, quomodo aegro ex hac causa apoplectico opitulari oporteat. Illico vermes ab ulteriori sua actione, qua nervos intestinorum irritant, prohibendi sunt, et ubi tempus fueris lucratus, etiam enecandi, expellendi. Potus purgans et oleosus simul insigniter prodest; sal amarum cum oleosis simul insigniter prodest; sal amarum cum oleo amygdalarum dulcium ore haustum, enemata ex lacte tepido; et certius adhuc, atque efficacius iuvat emeticum ex ipecacuanha propinatum. Rationem exactam ignoro, sed methodum hanc tutam certamque esse, observationibus est comprobatum. Prodest praeterea ipso assultu apoplectico a vermibus orto, medicamenta ex asa foetida, castoreo, opio etc. assumere, et ipsi abdomini inungere. Opium nervos irritatos componit, cavetque, ne vellicatio ad cerebrum propagetur, et insultum apoplecticum inducat, aut inductum iam solvit denuo. Opium praeterea, peculiari quadam vi vermibus inimicum est; idem de extracto nicotianae constat.

7) Septima causa est quaecunque res dolorem validum corpori infantili inferens. Sic dolor pleuriticus in pueris saepe orditur cum insultu epileptico et apoplectico. Tormina undecunque, non a solis vermibus excitata, calculus vesicae etc. iunctum sibi hoc symptoma apoplecticum habent. Hic causam prin-

 cipem

cipem morbi probe cognitam habere, eamque auferre oportet.

8) Octava causa infantilis apoplexiae est opium sub forma theriacae andromachi, dioscoridis etc. ad vagitus miserorum consopiendos a nutricibus dari solitum. Mors apoplectica ex hac causa saepius, non in urbe solum, sed etiam in pagis ab eadem procul remotis observatur, cum prava haec methodus etiam inter rusticos vigeat. Quod si quidam infantum mortem effugiant, attamen hebetes, stupidi, mente ac corpore torpidi vivunt.

Quaedam quasi additamenta ad eam, quae de apoplexia tractat, dissertationem addere iuvat, eaque ferme sequentia sunt:

1) *Hippocrates*, cum et alii morborum observatores apoplexiam certis temporibus frequentiorem memorant. Sic *Hippocrates* sect. 3. aph. 16. apoplexiam inter illos morbos recensuit, qui in pluviarum multitudine, itemque sectione eadem aphorismo 23 inter eos, qui hyeme magis fieri solent. *Hollerius* de morbis internis lib. 1. c. 7. in scholio complures memorat apoplecticos *in frigida et austrina aëris constitutione*: *Forestus* suas circa apoplecticos observationes producens ait: *tota coelei constitutio tunc pluviosa et austrina erat*; *et ita ab initio decembris ad* 18 diem *plurimi apoplectici et convulsi perierunt*; quin etiam in universum tradidit, suis quidem Batavis, *regionibus frigidis et humidis non raram, imo frequentissimam esse apoplexiam*.

2) Ad apoplexiam maxime inter alia praedisponunt, uti per observationes constat, studia, graves occupationes, curae, arthritis

maxime, quae quibusdam calculosam, aliis vero apoplecticam dispositionem inducit.

3) Signa futuram apoplexiam denuntiantia optime collegit *Caelius Aurelianus* lib. 3. cap. 5. de morbis acutis.

4) Notandum apoplecticorum quosdam statim febricitare, aliis vero febrem paulo serius supervenire. *Hippocrates*, eiusque interpretes apoplexiam solvi a superveniente febre affirmant. At negat experientissimus *Werlhofius*, cum eoque sanior doctrina, cum sanguineam apoplexiam certo febris augeat, et non nisi serosam subinde solvere queat.

5) Notum est venam iugularem in apoplecticis incidi, idque a multis aliis, sed maxime ab egregio *Valsalva* fuisse factitatum. Quaeritur autem 1), quonam in latere iugularem secare oporteat in hemiplecticis, an in latere paralytico, an vero in parte opposita? 2) an sectio iugularis venae dum reditum sanguinis a capite facilitat, non ex eadem simul ratione affluxum sanguinis ad encephalon promoveat? 3) de modo secandi hanc venam aeque disputatur? ut respondeamus, notandum est, per frequentes observationes constare, quod noxa in encephali ea parte sit utplurimnm, quae lateri paralytico opponitur. Sic cui totum sinistrum latus resolutum est, ei vitium in latere cerebri dextro haerebit. Praeterea sciendum est, iugularem *externam*, quae incidi solet, non eam esse, quae immediate sanguinem e cerebro reducit, sed *internam*; iugulari autem externae respondere carotidem externam, quae sanguinem non ad cerebrum ipsum, sed ad partes capitis extra cerebrum sitas affert. Secta

iam

iam *iugulari* externa accelerabitur reditus humorum per eam venam, et plus sanguinis feretur per *carotidem externam* venae *iugulari externae* respondentem. At vero, quo plus sanguinis per externam carotidem fertur, eo minus fertur per internam carotidem, sicque cerebrum a pressione liberabitur. Patet ergo, et utilem esse iugularis venae sectionem, eamque in latere sano instituendam esse. Verum inter secandum iuvabit venam solum per momentum *appresso digito* comprimere, ut in conspectum facilius prodat, seque lanceolae non subducat.

6) Inter alia apoplecticorum auxilia refertur *scarificatio occipitis*. In observationibus *Zacuti* habetur, quod iuvenem apoplecticum, resoluto iam pulsu, ita ut in horas moriturus videretur, ad ferenda vehementiora auxilia incapacem, restituerit cucurbitula bis in occipite profunde scarificata. *Meadius* permagnum auxilium hoc esse confirmat, atque in maxime periclitantibus apoplecticis magnopere iuvasse, non semel expertum se fuisse asserit. At nemo fusius diligentiusque de hoc praesidio scripsit, quam cl. *Waltherus*, qui dissertationem edidit *de scarificatione occipitis, plurium capitis morborum auxilio*. Hos inter morbos, quibus scarificatio prodest, refert maxime phrenitidem, paraphrenitidem, convulsivos et soporosos affectus, epilepsiam, ophtalmiam pertinacem, vertiginem obstinatam, cephalaeam, anginam, modo hi morbi a sanguine sint. Sed iam *Aretaeus* haec in curatione apoplexiae praecipit: cum morbus diu trahitur, ait *Aretaeus*, et caput in causa est, cucur-

bitula occipitio affigenda est, et sanguis largiter hauriendus; plus enim, quam venae sectio proficit, et vires nequaquam labefactat.

7) Circa diagnosin superius dictam, quanta attentione opus sit, ne sanguineam apoplexiam cum alia, e. g. serosa confundamus. Equidem *Petrus Salius* multas diligenter conquisivit notas, quibus sanguineam a serosa, vel et pituitosa internoscas. Notae hae minime contemnendae sunt, modo non *singulae*, sed *coniunctim* pleraeque spectentur. Sic apoplexiam a frigido humore natam *Salius* ait, si sit senex, si mulier, si non *rubor*, sed si *pallor* in facie sit; cum tamen constet, septuagesinarias et octuagesinarias foeminas ex apoplexia non frigida, sed calida ac sanguinea periisse.

8) Inter signa diagnostica *fortioris* aut *debilioris* apoplexiae refertur respiratio, cuius maior minorque a naturali respiratione recessus varios apoplexiae gradus discriminat. Verum cito letalem gravissimamque apoplexiam *Valsalva* vidit; vidit itidem *Verutus*, ubi nihilominus respiratio ordinata, aequabilis et omnino naturalis fuit.

9) Apoplexia subinde hominem corripit eo recte tempore, ubi quamoptime homo valere videtur. Id in iis accidit, qui vasa quaedam encephali debiliora, varicosa, aut aneurismatica, id est disruptioni proxima habent. Hi suspecta habere bona sua debent. Verum quanto languidius cor et arteriae sese contrahunt, tanto minus impendet eius distentionis periculum: contra, quanto illa valentius,

ut

ut in bene se habentibus, sanguinem protrudunt, tanto maiori partes debilitatae in periculo disruptionis sunt. Hanc quidem rationem haud rara observatione confirmatam legimus.

10) De *Valsalva* memorant, ipsum affirmasse, se ex nuda corporis inspectione praedixisse, apoplexiae causam non in cerebro, sed in cerebello inventum iri; id quomodo *Valsalva* praedicere potuerit, haud assequimur, nisi fors ex cito intercepta respiratione, et profusis alvi recrementis: si ea cuidam apoplectico contigerant, desumpserat cerebellum potius, quam cerebrum laesum esse.

11) Haud difficile tamen plerumque est, ex sola hominis apoplectici positione, nudaque iacentis inspectione praedicere, quonam in latere encephali vitium sit inveniendum. Advertentes enim, quodnam in latus conciderit apoplecticus, concludemus id latus primo omnium fuisse resolutum, et noxam in parte opposita haerere. Item si os in alterutrum latus retractum sit, vitium eo ipso in latere encephali erit, ad quod os retrahitur, cum haec retractio a resolutis alterius lateris musculis oriatur.

12) Ceterum, si non de sectione venae iugularis, sed venae sectione in brachio instituenda sermo sit, et hic obtinebit praeceptum *Valsalvae*, ut e sano latere sanguis mittatur. *Aretaeus* id dudum praeceperat, dum ait: resolutae in apoplectico partes considerandae sunt, in sinistrone, an in dextro latere resolutio sit (ut dicere mox est) sanguinem haurire

oportet; hac enim sanguis facile dilabitur: hac etiam a laesis partibus facile derivatur.

13) Alia gravis quaestio practica discutienda, an et qua copia sanguis mitti in apoplexia serosa debeat? famigerati alias medici pro canone statuerunt, venae sectionem in apoplexia serosa adeo utilem non esse, ut potius summe noxia sit. Verum si sectiones anatomicas consulamus, videbimus apoplexias productas *a sero pauco, sed acri, et vasa sanguifera ad constrictionem vellicante*. Hinc etsi serum hoc acre causa constrictorum vasorum, et aboliti per encephalon circuli sanguinei sit, tamen ipsa haec apoplexia a sanguine intra caput retento congestoque erit, et quasi composita, sive *seroso-sanguinea*. Venae sectio summe necessaria tunc est, ut strictura vasorum encephali solvatur. Vidimus et nos una alterave vice et serum intra calvarium congestum, et vasa simul turgida a congesto ibidem sanguine. Praeterea si etiam nulla sero acrimonia insit, sed id aliunde receptum, et ad caput depositum sit, ac cerebrum premat, continget, ut humorum sanguineorum periodus per cerebrum suspendatur, sanguisve coacervetur, ut denuo non simplex serosa, sed *seroso-sanguinea* apoplexia sit, quae sanguinis missionem postulat. Verum etiam hoc notari meretur, serum ad encephalon depositum resorberi non posse, nisi vasorum sanguiferorum systema aliqua saltem ex parte evacuetur, ut susceptis humoribus spatium fiat. Non est hic sermo de hydrope cerebri, ubi aqua plurima, sanguis parcissimus, et vasa conniventia, et ab aquarum mole compressa; haec *apoplexiae*

serosae

serosae species hydrops cerebri potius vocandus venae sectionem utique reprobat, et incitantia exigit. Itaqae haec regula circa venae sectionem in apoplexia instituendam statui potest: scilicet, *si cui ex malo corporis habitu apoplexia superveniat, non facile venam secabis*. Item: si quis senex praesertim, et longo antea tempore debilis, ab incautis medicis ad acidulas potandas ablegetur, et sub earum usu apoplexia corripiatur, vena secanda aut non omnino est, aut non nisi parcissime; verum ubi turgescentia vasorum coniicitur cum sero, differenda venae sectio non est.

14) Examinanda est quoque alia diagnostica nota, a *Martiano* allegata, qua is calidam a frigida apoplexia dignoscendam vult, dum ait in annotationibus in *Hippocratem* l. 2. de morbis: *apoplexiam a frigidorum humorum affluxu non de repente invadere, quemadmodum ceteris evenit*. Verum constat ex historia morborum, quod, quemadmodum quaedam ab effusione lenta sanguinis ortae apoplexiae tandem increscunt, ita non paucas ab aqua factas de repente hominem non opinantem corripere.

15) In sectionibus hominum apoplexia mortuorum saepe dubites, an serum effusum causa, vel effectus apoplexiae fuerit.

16) Ad formandam facilius diagnosin persaepe multum confert, nosse, quae causae morborum frequentiores, quae rarae, quae frequentissimae sint. Sic e. g. apoplexia *serosa* multo frequentior est quam *pituitosa*. Constat hoc ex hominum apoplecticorum sectionibus institutis. Hoc loco praeterire non possum

cau-

cautelam quandam, cuius in cadaverum sectione meminisse oportet; etenim resecto cadaveris cranio, reiectaque meninge utraque, gelatinae species, aut quaedam quasi pituitosa collectio sub oculos cadit. Verum discissa tela arachnoidea serum effluit intra distinctas huius telae cellulas diffusum, et gelatinam sive pituitammentiens. Levioris momenti haec observatiuncula videtur, verum si consideremus, ex male instituta, aut male intellecta cadaveris sectione malam morbi diagnosin formari, et errorem hunc ad alium forte aegrum ex consimili affectione laborantem transferri, atque ob eam rationem pravam illi medicinam applicari, patebit, nihil attentione nostra indignum esse, utut leve videatur, quo aut neglecto, aut observato, vel letalem aegro medicinam, vel vero salutarem facimus. Haec ratio est, quare vel levissima quaeque conquirenda a medico sint, quorum ope is errores practicos cavebit.

17) In non paucis ex apoplexia peremptis secto cadavere ingens urinae collectio in vesica, eiusque distentio reperitur. Ex hac frequenter habita non paucorum observatione facile intelligimus, quam facile fieri queat, ut qui apoplectici paulo diutius vitam trahunt, iis nova insuper malorum accessio ab urinae retentione fiat. Hoc eo minus animadvertitur, quod aegri ob infirmatas sphincteris vires, saepe post distentam iam vesicam, continuo pauxillum lotii et guttatim stillent. Unde fit, ut qui aegro assistunt, omnium minime de urinae retentione solliciti sint. Hinc id quoque ad cautelas practicas pertinet, ut medicus

regio-

regionem hypogastricam frequenter manu exploret, ne haec urinarum retentio contingat, aut si contigerit, ut eandem ope catheteris tollat.

PARALYSIS.

Paralysis est abolitio, vel diminutio vel sensus, vel motus, vel utriusque. Distinguitur 1) in *anaesthesiam*, ubi sensus, et illam paralysin, ubi motus deficit; 2) distinguetur a partibus affectis, in *paraplegiam*, *hemiplegiam*, paralysin linguae, labii, oris, palpebrarum, oculi ipsius, brachii, manus, digitorum, cruris, sphinteris vel ani, vel vesicae, vel et in paralysin ipsius vesicae; in paralysin oesophagi, ventriculi, intestinorum, quae tamen partes ob exquisitiorem irritabilitatem raro paralysin patiuntur; 3) in *perfectam* et *imperfectam*, quam ultimam *paraesin* appellant; 4) alia *chronica* est, alia *acuta*, qualis in morbo acuto symptomatice subinde observatur; 5) alia *continua*, alia *intermittens*, qualis in febre *larvata* sub paralysis specie incedente datur.

Notandum est *Caelium Aurelianum*, et eum recentiores non paucos obsservasse *paralysin* cum dolore, eoque satis vivido, partis paralyticae coniunctam. Multi ex colica pictonum paralytici simul dolorem lacerantem, et quasi in morbo articulari satis saevum circa articulos artuum resolutorum experiuntur. Subinde paralysis motibus convulsivis interpolatur. Circa pulsum arteriarum non eadem in omni paralysi conditio est. Sunt qui pulsum habeant obscurum, humilem, repentem; aliis vero pulsus pleni, fortes, durique sunt in

ipsis

ipsis artubus paralyticis; aliis carnes musculorum marcescunt, et membra ex nutritionis defectu arescunt.

Quod si debilis et repens pulsus, visque vitae per artum paralyticum exigua sit, facile capitur, quomodo et musculorum vires, et caro sensim evanescant. At vero difficiliores explicatus admittit, qua e. g. ratione in colica pictonum, et diu etiam post eandem pulsus ad carpum fortissimus, plenus, durusque, quasi chorda ferrea fibrans dari queat, dum interim pars paralytica tali donata pulsu ex nutritionis defectu emoritur, absumptis vix non omnibus musculis.

Causae *paralyseos* 1) eaedem sunt, quae et apoplexiae, idemque uterque morbus est, nisi quod apoplexia et gravius, et multo universalius hominem afficiat. Apoplexia *paralysis universalis* iure appellatur. Hinc cerebrum alicubi locorum pressum, vel quacunque ratione aliquantum in sua actione impeditum partem illam corporis absque motu aut sensu, aut utrumque orbatum relinquet, cui parti locus cerebri affectus nervos suppeditat. Verum causae paralyseos non intra solum cerebrum persaepe sunt; sufficit ad producendam paralysin, si productiones, prolongationesque cerebri, sive eius appendices in decursu afficiuntur; 2) aliae causae nervos non *immediate* afficiunt, sed parti cuidam nutritionem requisitam denegant. Huc pertinet, quidquid affluxum per arterias prohibet, imminuit; 3) illaesis etiam nervis, arteriis quoque succum nutritium afficientibus, nihilominus paralysis ex vitio musculorum fieri potest; musculi dis-

secti,

secti, suppuratione absumpti, quacunque ratione ad motum inepti facti, artus reddunt paralyticos. Omnes ergo paralyseos causae revocari possunt vel 1) ad laesum cerebrum, cerebrique productiones, scilicet nervos, et medullam spinalem; vel 2) ad vitia vasorum sanguiferorum succum nutrititium non adferentium; 3) vel ad ipsam musculorum laesam fabricam.

Quasdam paralysis causas speciatim hic recensere iuvat. Ad has pertinet particula cerebri pressa a sanguine ibi accumulato, stagnante, a vase cerebri varicoso, aneurismatico, ab exostosi, tumore quocunque, a sero, lympha, gelatina, calculis etc. Pus resorptum, et vel ad cerebrum, vel nervum depositum; materies scabiosa, arthritica, herpetica, retropulsa. Ulcera praemature clausa, lues venerea, luxationes, fracturae, metastases in morbis acutis. Abscessus ad vertebras, spina bifida, hydrocephalus. Refrigerium sudanti corpori admissum; halitus noxii minerales, mercuriales, arsenicales, plumbei. Materies dysenterica retropulsa; nimia seminis evacuatio; convulsio partis diu ante tolerata, materies scorbutica etc.

Circa diagnosin notandum est, eam plerumque non difficilem esse. Id solum attendendum, dari subinde musculorum quorundam spasticam contractionem talem, ut musculi antagonistae multum superentur, et paralytici videantur, et revera tales non sint. Hoc in casu medicamenta musculis convulsis applicanda erunt,

Pro-

Prognosis ex sequentium axiomatum observatione deducitur: 1) malum recens ex causa cognita tollendaque ortum, fabrica partis paralyticae necdum destructa, curatur; 2) facilius curatur paralysis, quae dolorem, tumorem, formicationem sibi iunctam habet, quam ubi haec symptomata desunt; 3) paralysis a causa frigida curatur excitata febre, item pathemate animi humores rarefaciente e. g. ira, gaudio, spe, fiducia, terrore repente incusso; 4) paralysin a causa calida auget febris; 5) pedum paralysis citius et facilius curatur, quam paralysis brachiorum; 6) paralysis post dysenteriam aut neglectam, aut male curatam facilius curatur, quo vetustior fuerit; 7) aliae vero paralyses aliunde ortae eo difficilius sanantur, quo fuerint vetustiores.

Ceterum notanda circa paralysin adhuc sequentia sunt: scilicet, 1) multae curae hominum paralyticorum aut casu, aut studio evenientes ex supra dictis possunt explicari: scilicet, quomodo per plures annos paralyticum crus, audito tumultu excitati incendii, incussoque inde terrore, momento temporis fuerit curatum. Item, quomodo paralysis artus alicuius ab exorcistis quibusdam, qualia exempla in confiniis nostris ante annum audivimus, sanata fuerit. Etenim terror ab exorcista incussus, opinio ipsa paralytici, opinantis se a daemone obsessum esse, vox increpans, et mille diras intonans exorcistae, copiosissimus affluxus ex omni parte hominum, et publica illa vel acclamatio, vel inquieta exspectatio, erecta recuperandae sanitatis spes, humores in membro paralytico stagnantes longe poten-

tius

tius efficaciusque in motum incitat, dividit, per confertos sudores, quibus hi homines sub ipso exorcismo Gassneriano diffluunt, eliminat, longe, inquam, haec potentius agunt, commovent, alterant, quam tua persaepe inefficacia gummi-ferulacea, camphora, aromata varia, frictiones, quam ipsum artificiale fulgus ex machina electrica provocatum. Haud difficile esset ex principiis psychologicis alios quosdam effectus certe non denegandos, et ab exorcismo Gassneriano productos explicare.

2) Plerumque auctorum ea hucusque sententia fuit, paralysin in colica pictonum ex metastasi contingere, et ipsam colicam superveniente paralysi solvi. Verum aliqui paralytici evadunt, antequam colicam patiantur, aliis paralysis accedit vigente, durante, quin et aucto dolore colico; ut adeo metastasis aut crisis hic locum non habeat.

3) Hic notandum *Willisii* effatum asserentis, se in corporibus a longa paralysi, et gravissima membrorum resolutione defunctorum deprehendisse semper corpora striata prae aliis in cerebro minus firma, instar amurcae discolorata, et striis multum obliteratis. Ex aliorum quoque observationibus constat, corpora striata non absque gravibus noxis vitiata reperiri, ut adeo *Langhansio* eo facilius assensum praebeamus, qui scripsit, hasce striatas protuberantias partem cerebri nobilissimam efficere.

4) Circa remedia partibus paralyticis externe adplicanda hae regulae practicae observentur: scilicet, 1) remedia externa inutilia

sunt, quotiescunque paralyseos causa intra cranium est; 2) medicamenta externa non statim ab initio adhibeantur; contingit enim, ut serum morbidum ad artus depositum, et paralysin inducens per medicamenta externa ab ignobiliori sede ab nobiliora viscera sese recipiat ad cerebrum, medullam spinalem, praecipue ubi ad apoplexiam praedispositio est. Hinc ubi recenter resoluta membra fuere, ibi corpus per interna remedia nondum fuit confirmatum, partes paralyticae thermis non facile committantur. Huc *Willisii* observatio spectare videtur, qui ex usu thermarum Bathoniensium aliis paralyticis utilissimo, aliquoties vidit membra plura, et gravius affecta, quam antea. Porro aliae extra cranium sitae paralysis causae sunt, quibus remedia externa frustra opponuntur. Caries, exostoses corporum, vertebrarum omnem plerumque medelam eludunt.

5) Paralysin a materia rheumatica sanat vesicans in vicinia adplicatum; infusum florum arnicae, electricitas etc.

6) Paralysis senilis ab artuum, musculorum, praecipue tendinum rigiditate, a deficiente, vel inspissato smegmate Haversiano provenit potius, quam a peculiari nervorum vitio. Hinc remotis spirituosis balnea, cataplasmata emollientia, et aquae tepidae vapores conveniunt.

7) In paralysi femoris, crurisque, in ischiade vesicans ad caput fibulae, idque bis, terve, et saepius adplicatum egregie prodest.

8) Paralysis post assumptum arsenicum orta, cum doloribus quasi rheumaticis, curatur gummi ferulaceis et lacte.

9) Paralysis scorbuticorum succos recentium vegetabilium et antiscorbutica exigit.

10) Constat colicis (de saturnina colica sermo non est), constat, inquam, colicis frequenter paralyses artuum, maxime superiorum, supervenire. In colica Dammoniorum, quae biliosa fuerat, descripta, id non raro evenerat. Id in colicis *biliosis* potius, quam quibuscunque aliis fieri solet, si materies cruda et biliosa non evacuetur, sed dolor solis fere narcoticis sopiatur. Materies enim absorpta, intra humorum oceanum recepta, hinc inde vasculis minimis infigitur, infixaque nervos aut vellicat, et diram arthritidem procreat, aut eosdem nervos comprimit, stupefacit, unde paralysis.

11) Paralysis ab immodico seminis dispendio non infrequens est; inde sanguis effoetus, vappidusque; inde succi nervei penuria, inde vasa minutissima, exsucca, arefacta, inde deiectus solidorum omnium tonus est.

12) Paralysis linguae in sinistro eiusdem latere, vel etiam impedimentum quoddam in sinistro linguae latere sese manifestans inter loquendum, spasmus sinistri linguae lateris cum vel sine dolore in iis non raro notabatur, qui affectis pulmonibus sunt, purulenta sputant, difficilemque spiritum trahunt. Sed quid cum pulmonibus laesis vel infarctis linguae paralysis, vel spasmus? quare in sinistro frequentius latere, quam in dextro? Carolus *Piso*

rem explicat a serosa colluvie inundante involucra nervorum pulmonis, parisque octavi, adeoque progrediente malo per nervi decursum simul ramum lingualem affici.

13) *Hippocrates* in *coacis* notat, ab inflammatione pulmonum magna, et thoracem eo in latere valide premente, paralysin ipsius totius lateris. Credo ob eam rationem, quod par octavum, unde nervus pneumonicus habetur, cum intercostali commiscetur. Commisti hi nervi cum lumbalibus et ossis sacri nervis concurrunt, componuntque nervos ischiadicos et crurales; hinc presso aliquatenus octavo pari, unde et pulmo, et lingua nervos recipiunt, pressoque a turgentibus pulmonibus intercostali, facile intelligitur et linguae et crurum resolutio in latere peripneumonico. Ex eadem fere ratione brachiorum quoque paralysis explicatur; etsi enim brachia ab octavo pari nervos non habeant, habent tamen praeter cervicales, et primum dorsalem ramos quosdam ab intercostalibus. Verum tamen multa nobis obscura, atque nulla ratione explicanda manebunt, quamdiu et nervorum commistio in suis gangliis, et eorum usus nos latebit.

AD MORBOS OCULORUM PERTINENTIA.

In curanda ophthalmia notanda adhuc sunt sequentia:

1) Ophthalmiae causae saepissime solummodo sunt externae, e. g. ventus frigidus, sabulum, et pulveres, uti in toto fere agro viennensi aestivo tempore observatur; item aliena corpuscula inter oculum ipsum et pal-

pebras

pebras haerentia, quae rebelles, et chronicas subinde ophthalmias efficiunt. Hoc in casu corpus alienum, et oculum irritans removeri debet, omnisque sanguinea evacuatio ne hilum proficiet, ni stimulus hic peregrinus auferatur.

2) Ophthalmiae habitualis, sive chronicae curatio ad duo capita plerumque reducitur: vel enim ophthalmia haec in corpore ευσαρκω, plethorico reperitur, quo casu venae sectiones, lenes alvi ductiones, et tenuis diaeta prosunt, vel vero ophthalmia habitualis hominem laxum, debilem, paucis aut pravis scatentem succis, sedentarium, semiictericum afficit; tunc autem roborantia, invigorantiaque ac nutrientia indicantur; externa etiam tonica internis utiliter iunguntur.

3) Ophthalmia venerea prae ceteris in albuginem, aut in opacitatem totius corneae transit; ut adeo ex ipso facili transitu inflammationis in albuginem diagnosin ophthalmiae venereae latentisque luis formare possis: Bina opacitatis corneae et albuginis ex luis venereae seminio exempla modo in nostro nosocomio prostant. Indicatur hic mercurii penetrantissima praeparatio, ea scilicet, quae sub sublimati corrosivi nomine venit; praecipue ea utilis erit, si antimonialibus praeparatis iungatur, aut exiguae simul doses vini antimonialis Huxhami propinentur.

4) In ophthalmiis circa usum remediorum externorum sequentes canones locum habent: 1. ubi in ophthalmia tensio valida, et siccitas dolorque oculi magnus est, sola emollientissima, tepidaque adplicantur; 2. ubi tensio do-

lorque minor est, emollientibus adde lenia discutientia, flores sambuci, chamomill. etc. pauxillum camphorae; 3. si tensio dolorque admodum mitis et exiguus est, sola discutientia, eaque efficaciora adhibeantur. De repercutientibus nota, ea adplicanda esse caute, solum in principio inflammationis levioris; nocere autem, ubi inflammatio gravis, fixaque est, ubi materies inflammatoria malignae indolis est, aut ubi critica depositio ad oculum materiae inflammatoriae facta est.

5) Circa collyria nota, ea nihil continere solidi, aut indissolubilis materiei debere; hinc tutia, flores zinci, et pulveres testacei male, utut frequentissime, praescribuntur.

6) Si destillans ex oculo inflammato liquor acer et rodens sit, ac oculi viciniam ita exulceret excorietque, uti nares in coryza excoriantur, proderit tepidam gummi arabici solutionem oculo frequenter instillare, et acrem hac methodo materiem abluere.

7) Ophthalmia venerea frequentissime ex retropressa gonorrhaea oritur, ubi idem virescens aut flavus humor, qui antea per urethram fluxit, ex oculo depluit. Malum subinde gravissimum, et oculus citius, quam vis remedii exeri possit, depascitur. Quaeritur, quid in venerea ophthalmia agendum sit? respondeo: in hac inflammationis specie cura summe antiphlogistica est adhibenda, emollientia, involventiaque adplicanda; praescribenda ea sunt, quae materiam veneream prava metastasi a pudendis ad oculos delatam avocent, et denuo ad genitalia amandent; hinc

leniora

leniora diuretica, sed ex classe emollientium deprompta, uti saturatum malvae, altheae etc. decoctum indicantur. Etsi enim cura antiphlogistica miasma venereum non tollat, eius tamen effectum, inflammationem videlicet, mitigabit, et ad aliquod saltem tempus suspendet, donec datis remediis mercurialibus virus venereum, difflata iam phlogosi, extinguatur.

8) Datur ophthalmia quaedam symptomatica, quae febrem vel continuam, vel continuam remittentem, vel et intermittentem comitatur. Plures exstant febrium petechialium epidemice grassantium historiae, ubi inter reliqua etiam symptomata febris ophthalmia fuit; hic tamen oculi affectus febres maxime autumnales, biliosas, putridas, malignas stipabat, atque eandem cum ipso morbo principe medelam poscebat. Iuvat hic quandam huius ophthalmiae ideam proponere, ut curae paulo post explicandae ratio luculentius pateat. Tempore aestivo aut autumnali, humido nebulosoque, prava circa praecordia materies colligitur, febresque gastricas generat. Quod si aliena haec abdominis saburra massam circulantium humorum subeat, febris maligna vel simpliciter talis, vel lenta nervosa producetur. Hae febres malignae diversis insigniri nominibus solet, uti diversas corporis partes materies resorpta petierit. Etenim, si acre illud biliosum, pituitosum, ex ventriculo traductum ad pulmones decubuerit, haec febris pleuritica, sub nomine *pleuritidis*, aut *peripneumoniae biliosae* veniet, aut, quod ferme eodem recidit, febris haec maligna appellabitur, nomine adhuc-

dum inter multos usitato febris catharralis malignae; at vero si materies resorpta non pulmones, sed totam corporis externam superficiem petat, ibique in ultimis haerens vasculis efflorescentias gignat, febrim hanc malignam peculiariter *exanthematicam* appellabis, vel petechialem, vel miliarem, vel scarlatinam. Verum ponamus materiam ex systemate gastrico resorptam nec ad pulmones, neque ad corporis deponi superficiem, sed ad tonsillas, fauces, fors ab aëre nebuloso nimium relaxatas, ergo febris tua maligna sub alia compellatione tibi innotescet, diceturque *angina maligna*. Quod si materies prava resorpta ad oculos eodem aëre nebuloso relaxatos nimium deponatur, habebis *ophthalmiam malignam*; sive potius *febrim malignam* ophthalmia stipatam, quam ophthalmiae speciem methodis ordinariis hucusque explicatis haud tolles. Ophthalmia haec febrium gastricarum symptoma, vel continua est, uti febris, vel continua remittens, ubi illa sub ipsa febrili exacerbatione pariter exacerbatur, vel est intermittens, ita, ut si febris pariter intermittens, ea non nisi sub paroxysmo febrili redeat; haec est illa ophthalmia periodica, sub qua febrim intermittentem quasi sub larva delitescere dicunt: verius autem diceretur, febrim esse intermittentem cum ophthalmia symptomatica. Facilis iam curationis in hac ophthalmiae specie explicatio est; etenim morbum ipsum principem tollere convenit, quo sublato reliqua accidentalia symptomata cito disparent. Quoniam autem hos morbos aut percurat, aut insigniter mitigat emeticum per epicrasin propinatum, hinc est,
quod

quod auctores medici contra quasdam ophthalmias febriles, epidemicas, continuas, intermittentes emetica celebrarint, quibus revulsa materies potenter apteque evacuatur, licet ipsa vomendi actio ophthalmiis per se neutiquam conveniat, cum sanguinem versus caput urgeat.

Amaurosis, sive gutta serena adesse dicitur, si visio desit absque vitio oculi apparente, quodve sub sensus cadat. Hoc caecitatis genus quibusdam pedetentim, et sensim sine sensu accidit, aliis vero repente et non opinantibus.

Dividitur amaurosis in continuam, ubi homo constanter caecus est; et intermittentem, quae per intervalla solummodo redit vel horarum, vel dierum. Item dividitur in idiopathicam, ubi vitium vel in nervo optico presso, arido, atrophico, aut in vitio qualicunque retinae est; et in sympathicam, ubi vitium in abdomine haerens amaurosin facit. Alia divisio est in protopathicam, sive originariam amaurosin; et symptomaticam, quae alterius morbi, e. g. apoplexiae, comatis, atque syncopes constans symptoma est; alia divisio in connatam est, et in acquisitam.

Causae guttae serenae diversissimae sunt: sic e. g. resolutio nervi optici, et retinae ob gravem encephali commotionem a lapsu, ictuque, ob vulnus capitis, superciliorum, tumores tum in ossibus, cum in membranis, tam calvariae, quam ipsius orbitae oculi osseae; item sanguis ex suppressis menstruis, haemorrhagia critica quacunque, ex plethora regurgitans ad caput. Sanguis copiosus ad caput ru-

ens

ens ob onerum gravium gestationem, frequentem corporis inclinationem, ob insolationem. Nervus opticus, aut retina metastasin materiae alienae cuiuscunque passa, scabiosae, erysipelaceae, venereae, malignae in febribus malignis, rheumaticae, arthriticae. Sanguis ob spasmos abdominis copiosius ad caput congestus; item opium, et plantae narcoticae humorum turgescentiam efficientes; item deperditio humorum bonorum, sanguinis, seminis, liquidi nervei.

Notandum est, alia caecitatis genera, ubi vitium in lente crystallina, aut humore vitreo, aut aliis oculi partibus, excepto nervo optico et retina, non esse ad amaurosin referenda, cum in amaurosi oculus aspectu externo sano simillimus sit; in aliis vero caecitatum generibus oculus ab habitu sano etiam ad aspectum externum multum recedat.

Prognosis potissimum a cognitione causae amausosin producentis repetenda est. Sic amaurosis a presso nervo optico, si causa premens tumor, aut exostosis sit, rarissime sanatur; facilius illa, quae a repentino decubitu seri; et adhuc facilius, quae a sanguine orgastico rarefactoque oritur. Amaurosis connata, item ea, quae senibus accidit, non curatur. Amaurosis symptomatica morborum spasticorum, morbi hysterici, hypochondriaci, colicae saturninae ec. temporaria solum est, et finito paroxysmo sponte evanescit. Amaurosis a depositione lactea aliquoties curata est. Amaurosis repente orta post iram immodicam emetico dato curata legitur; causa duplex erat, scilicet bilis effusa in ventriculum, et spasmus ab-

abdominis. Amaurosis repente orta plerumque curabilior est, quam illa, quae pedetentim incidit. Amaurosis sub fervido sole itinerantium venae sectione, dato postridie emetico a *Schmuckero* curabatur. Labor gravis inclinato corpore, gestatio onerum, eorum sublatio curabiles amauroses faciunt ut plurimum.

Cura ex diagnosi causae amaurosin producentis est repetenda, quae cum diversissima persaepe deprehendatur, ipsam quoque medendi methodum variam esse oportet. Quosdam curatae amauroseos casus hic recensebo.

Sic curata legitur amaurosis in foemina, quae quarta a partu septimana ex repentino terrore visu illico privabatur; hoc in casu continuus alvi fluxus excitabatur, qui visum denuo restituit. Alius ex gravi ira repentinam amaurosin patitur; datum mox emeticum visum restituit apud cl. *Richter*. Labor multus penes ignitas fornaces exercitatus saepe amaurosin fecit, venae sectione, et subiecto purgante sublatam. Amaurosis post febrem orta observabatur, cum vultu pallido, semiicterico, deiecto appetitu, lassitudine totius corporis, pupilla summopere dilatata, datis solventibus et subiecto aemetico multa eruginea materies eliminabatur; haec remedia, cum aliquoties iterarentur, visum restituerunt. Amaurosin in colica pictonum opium et camphora tollit. Amaurosin ortam a muco multo in sinubus frontalibus aggesto, dolorem supercilii, et narium siccitatem faciente tollunt sternutatoria varia mucum prolicientia. Cl. *Collin* amauroses curavit ortas ab infarctu vasorum visui inser-

vientium; easdem ab eadem causa natas amauroses pulsatilla sustulit. Amauroses a labe venerea productas sanavit multoties mercurius sublimatus corrosivus. Cl. *Schmucker* amaurosin post febrem scarlatinam ortam curavit tartaro emetico tribus consequentibus diebus exhibito, et concitata emesi vesicans adplicuit; die quarta lucis quid aeger sentire incepit; tribus septimanis suppuratio larga in nucha excitabatur; dabatur initio interne sapo venetus cum pulvere millepedum; dein quotidie propinabantur duo vascula iuris carnium, cui 60. vivi millepedes incoquebantur. Militibus sub fervido sole itinerantibus, et onera gestantibus orta saepenumero repentina amaurosis est; facta mox venae sectio est, et altero die tartarus emeticus propinabatur, ubi visus plerumque rediit; quod si haec methodus non suffecerat, sectio venae iugularis instituebatur, altero die denuo emeticum, et cervici adplicabatur vesicans. Amauroses plures ab inerti humorum motu, infarctu viscido oriundos curavit saepius ignis electricus. Amauroses a suppressis lochiis, menstruis, haemorrhoidibus productas repetita venae sectio sustulit.

Ceterum hic loci maxime opportunum arbitror, de amausosi ficta agere, quam scilicet impostores subinde certis de causis fingunt, aut morbum quendam simulant, e. g. epilepsiam, amaurosi semper stipari solitam: attamen, ubi fraudis suspicio est, nemo facile potest decipi, nisi qui forte nunquam cum *Plinio* animadverterit, quam rari sint, qui contra comminationem aliquam non conniveant, quantaeque hoc difficultatis sit homini; hinc

si

si pupillae non sint dilatatae nimium, quales in vera amaurosi semper fere sunt, item si non sint immotae, si digito quasi per imprudentiam in oculum immissa, oculus conniveat, et pupilla contrahatur, simulator fraudem invitus aperiet. Etenim alia tentamina, ferrum et ignem admotum eiusmodi simulatores pertinacissimo cum silentio nonnunquam perferunt. Interim fieri potest, ut in vera etiam amaurosi pupilla non sit dilatata, et mobilis maneat; hinc etiam hoc experimentum, utut plerumque sufficiat, tamen fallere subinde potest. Legi hic meretur utilis libellus *Io. Bapt. Silvatici*, *de iis, qui morbum simulant*.

Subnectam hic loco coronidis explicationem textus cuiusdam *Hippocratici* percelebris, qui interpretes et commentatores, *Hollerium*, *Iacotium*, et *Ludovicum Duretum* mire torsit. Ait enim *Hippocrates* in coacis: *obscuratur visus in vulneribus, quae vel supercilio, vel paulo altius infliguntur*. A gravi vulnere id fieri posse mirandum non est. At vidit *Morgagnius* amaurosin a levi in speciem vulnusculo supra supercilium. Explicandum id iuxta *Morgagnium* videtur per laesionem rami ophthalmici e quinto nervorum pari de orbita prodeuntis, et illuc per frontem ascendentis; etenim nervi ciliares, nervorum opticorum involucra et membranas comitantes, laesi irritatique eadem involucra constringunt, sicque amaurosin faciunt.

ODONTALGIA.

Odontalgia frequentissimus morbus est, summopere dolorificus, et ubi aegri multoties

medicorum opem implorant. Praeterea aliam etiam ob causam peculiarem medici attentionem promeretur, quia nempe vigilias, febrimque hic affectus producit, debilibus, puerperis, gravidis praeprimis noxiam.

Odontalgia vi vocis dolor dentium. Divisio optima a causis petitur: sic alia odontalgia est 1) a vitio gingivarum, partiumque dentem ambientium; 2) a vitio ipsius dentis; et 3) a vitio partium remotarum. Alia denuo subdivisio fit, prout varium gingivarum, partiumque dentem ambientium vitium est. Sic in gingivis, nervorum membranis, genis decubitus quandoque serosus fit, nervos vellicans permensque, unde *odontalgia serosa*. Tempore hyemali vernoque frequens est, et comes it aliis morbis ex rheumaticorum familia oriundis, coryzae, raucedini, catharro. Probe hanc odontalgiae speciem dignoscere ab alia multiplici oportet. Signa diagnostica suppeditabunt tempus anni rheumatismo favens, dolor rheumatis, cervicis; tumor glandularum colli; coryza, raucedo, catharrus, ophthalmia serosa simul iuncta; defectus febris insignioris, etsi atrox adsit dolor; dolor non in uno tantum loco, sed diffusus per maxillam genamque totam, dentes quasi elongati. Prosunt hic ea omnia, quae rheumatismo convenire aliunde novimus. Restituenda suppressa perspiratio, aut alia vicaria excretio tentanda; hinc purgans hic convenit salinum, mannatum; alvo mota perspirationem restituet decoctum lignorum, infusum florum sambuci, tiliae, vesicans ad nucham, retro aures, ad angulum maxillae, ad

col-

collum; item stibium diaphoreticum cum opio. Topica exhiberi possunt externa discutientia, leviter irritantia, et serum depositum evocantia: assumuntur masticatoria, item apophlegmatisantia, infusum salviae, radix pyrethri, essentia pimpinellae, fumus nicotianae per fistulam attractus, masticatio corporis duri, aut non solubilis cum saliva, e. g. cerae. Interim, sicut rheumatismi dantur hac ratione nullatenus curandi, quive solum emetico, eoque subinde repetito obediunt, sic et odontalgiae quaedam rheumaticae species sola emesi tuto et cito sanatur. Quaeritur, quid de venae sectione in hac odontalgiae specie sit statuendum? Respondeo: eam per se non esse necessariam; interim tamen praemittere illam subinde oportere, in hominibus plethoricis, plenisque, et ad inflammationes praedispositis. Diutius enim durans odontalgia febrim levem inflammatoriam concitat, quae venae sectionem postulat; deinde facilior resorptio materiae serosae fiet, si sanguinis quaedam depletio facta fuerit. Notandum tamen, dari corpora quaedam frequenti odontalgiae, catharro, coryzae, totique serosorum morborum familiae obnoxia, laxa, debilia, aquosa, mucosa, ubi, si odontalgia affligantur, non omnis tantum venae sectio, sed omnis omnino evacuatio nocebit. Herculeum hic remedium erit cortex peruvianus, debilem corporis compagem firmans. Curati horum quidam sunt solo vini, cui antea non assueverant, usu. Odontalgia serosa neglecta, aut prava methodo tractata, praeterquam quod diuturna, summeque dolorifica

sit, morbos etiam alios non contemnendos producit; etenim serum diu decumbens gingivas laxat, unde ipsi dentes, utut antea sanissimi, vitium trahunt; subinde serum inde depulsum ad cervicem decumbit, eiusdemque immobilitatem chronicam producit. Subinde totum faciei latus affectum quasi paralyticum evadit, ore in partem faciei sanam retorto, qualem casum paucis abhinc diebus vidimus. Alia odontalgiae species est inflammatoria, ab inflammatione periostii ipsius dentem ambientis; cognoscitur ex febre universali totius corporis, pulsu duro, celeri, colore aucto, facie rubra, genis et gingivis calentibus, dolore quasi pulsante in loco affecto, qui dolor minus late ac in seroso decubitu diffunditur. Hanc speciem observamus post vigilias, compotationes, ingesta acria, aromatica; item in gravidis, utpote quibus sanguis fere semper phlogisticus esse solet, et ob tumens abdomen superiora copiosius petit. Post suppressas haemorrhoides, lochia, menstrua, post suppressas intempestive plethoricorum haemorrhagias. Alia longe hic methodus viget ac in ea specie odontalgiae, quam serosam appellamus. Cura summe antiphlogistica erit adhibenda, venae sectiones, scarificationes nuchae, post aures; hirudines ad ipsam dolentem gingivam adplicatae vices subibunt venae sectionis topicae. Ad genam cataplasmata emollientia adplicentur, ore retineantur collutoria pariter emollientia; interne emulsa propinentur nitrosa. Nocent hic vesicantia, humorum phlogosin magis cuncitando; nocent purgantia, ut-

ut

ut antiphlogistica, itemque sudorifera. Odontalgia haec inflammatoria saepe in suppurationem et abscessum abit, qui circa radicem dentis conclusus radicem ipsam et maxillam rodit, graviaque persaepe mala, et fistulam, quam vocant, dentis (*Zaknfistel*) producunt.

Quod si omnibus artis auxiliis frustra adplicatis benigna tamen resolutio obtineri nequeat, sed malum in suppurationem transeat, opera danda, ut abscessus et cito formetur, et formatus cito extrorsum vergat, et aperiatur. Optimum tunc erit ficum versum in lacte coctum dolenti tuberculo adplicare.

Aliae adhuc odontalgiae species sunt a vitiis gingivarum oriundae. Sic labes scorbutica, et totius corporis, et gingivarum praecipue, dolores dentium quasi rheumaticos facit, quos ab aliis dignoscimus ex gingivis prurientibus, tumentibus, fusca rubedine tinctis, colore dentium versus radicem fusco, oris foetore peculiari, a longe etiam adstantibus molesto, ex maculis scorbuticis, et rheumatismi crurum quadam specie, quam peculiariter scorbuticam appellant. Contra hanc scorbuticam odontalgiam conveniunt: 1) cura radicalis ipsius morbi principis, scorbuti nempe; 2) ea remedia topica, quae gingivas firmant, ut infusum salviae, tinctura laccae; aqua stillatitia fol. salviae, cum roob dianucum, et alumine.

Alia species est odontalgia venerea. Labes venerea partes laxas, mucosasque peculiariter adamat; hinc, praeterquam, quod pudenda afficiat, etiam oculi adnatam membranam Schneideri, et qua nares investit, et qua fauces, itemque gingivas peculiariter occupat.

Praeter curam radicalem, conveniunt topica leniter tonica, additis mercurialibus, inter quae nuperi quidam scriptores praeprimis aethiopem mineralem laudant. Id hac occasione noto, distinguendam esse hanc odontalgiam veneream ab illa, qua ab hydrargyro est, quaeve odontalgia mercurialis dicitur.

Subinde odontalgia observatur a vitio cacochymico oriunda, cuius speciem determinare nequeamus, cum nec scorbutici quid, nec venerei adest, sed innominata quaedam humorum acrimonia, quae ad laxiores forte gingivas deposita odontalgiam producit. Pono exemplum: puella diuturno fluore albo, eoque non venereo laborans, praeter varios vagosque artuum dolores, quasi rheumaticos, dentium quoque doloribus vexatur, per intervalla redeuntibus, tunc praecipue, si fluor albus solito parcius, aut omnino non fluat. Curamus hanc speciem ea ipsa ratione, qua ipsum morbum principem, purgantibus videlicet ex classe roborantium petitis, rheo quotidianis, sed exiguis dosibus dato, demum cortice marteque.

Alia est odontalgiae species, a sola gingivarum laxitate, item a gingivarum evanescentia oriunda.

Id in senibus accidit, ubi alveoli dentium evanescere incipiunt delerique, et gingivae absumuntur. Dens nec alveolo, nec ambientibus gingivis firmatus vacillat, et inter manducandum huc illuc motus dolet. Medelam vix reperiundam hic arbitror, nisi ea in lenta masticatione, et diaeta tali quaeratur, quae validiori dentium robore non indiget.

Aliam

Aliam a parte denti vicina odontalgiam habemus, a maxilla videlicet superiori male affecta. Evenit enim subinde, ut intra Higmori antra pus undecunque natum colligatur, et circa radices dentium superiorum maxillae rodat, rodendoque speciem odontalgiae producat. Prodest, si dens, subiectus, utut sanus extrahatur, alveolus vero pertundatur, ut hac ratione puri exitus detur.

Sed odontalgiae causa in ipso persaepe dente est, cuius multiplex esse vitium potest: 1) caries dentis, 2) defectus crustae illius vitreae, vel adamantinae dentis externam superficiem constituentis. Considerabimus primo cariem, eius divisionem, causas, et medendi methodum.

Cariem dividunt in humidam, et quae cito latius serpit; ac in siccam, quae saepe per annos durat, quin ulteriores progressus faciat. Diversae cariei causae sunt, quarum aliquas hic persequemur: 1) vitia gingivarum diu durantia tandem dentem afficiunt, ipsique cariem affricant; 2) cariem inducit abusus acidorum, mineralium praecipue. Hinc reconvalescentes ex morbo tali, in quo acida mineralia paulo largius fuere praescripta, odontalgiae quandam speciem, seu potius molestam quandam dentium sensationem experiuntur, quam paulo difficilius verbis exprimere valemus; 3) alia cariei causa est prava illorum consuetudo, qui instrumentis variis sibi continuo fere dentes purgant, gingivas deprimunt, atque interstitia faciunt inter dentes ampliora; etenim hac ratione reliquiae ciborum ampliora semper spatia inter dentes habebunt, quarum diversa

acrimonia dentes rodit, et cariem inducit; 4) neglecta oris mundities post pastum praecipue frequentissima cariei in dentibus causa est. Sed quae causa doloris in dente carioso? ea fere duplex est vel enim dens ita iam erosus est, ut assumpta frigida, calida, acria, ipse aër attractus nervulum exquisitissime sentientem afficiant, unde dolor necessario existit; vel vero, etsi caries eousque necdum penetravit, ut nervus denudetur, tamen ibi loci penes cariosum dentem laxior gingiva facile serosum decubitum patietur. Hinc est, quod dentes cariosi per intervalla doleant, et non doleant subinde, cum serosi decubitus dentes praeprimis cariosos, laxioresque ibi gingivas ament. Hinc quoque est, quod non in omni odontalgia, ubi dens cariosus deprehenditur, ipsa caries et nervuli denudatio sit accusanda.

Sed quae cura denti carioso facienda? respondeo: caries humida convertenda est in siccam, vel dens ipsemet extirpandus. Universim in carie haec methodus obtinet: 1. ut cariosa tollantur, quod fit, si mediante instrumento cariem abradas, et foveolam erosam probe repurgatam aut plumbi, aut vero auri lamella repleas, quo alimentis, aliisque aditum ad nervulum intercludas; 2. si caries cito latius serpat, potentissima antiseptica sunt adhibenda. Hoc fit, si denti carioso applices spiritum therebinthinae gossypio exceptum, balsamum copaivae, tincturam myrrhae; oleum cinnamomi, caryophyllorum; liquorem anodynum mineralem, camphoram, ec. 3. nervulum doloris unice capacem, si haec non proficiant,

des-

destrues, et omnis sensationis expertem reddes. Nervus autem destruitur acribus, rodentibus, uti sunt paulo ante nominata, olea essentialia, oleum praecipue caryophyllorum, cinnamomi; opium, quod certe in odontalgiis, non qua anodynum prodest; sed qua acre, rodens, et nervum destruens remedium, vel etiam in odontalgia serosa, qua apophlegmatisans. Destrui item solet acidis mineralibus concentratis, solutione ipsius lapidis infernalis, et demum candente filo ferreo. Quod si vero caries ad ipsam usque radicem penetret, etsi destructus iam nervus sit, nullusque amplius supersit dolor, praestabit tamen dentem ipsum potius exstirpare, ne ipsa maxilla, et vicini dentes vitium trahant; at exstirpato dente reponendus alius artificialis est, et sua methodo firmandus, non tam, ut eodem inter masticandum utaris, sed ut distinctior, minusque impedita loquela, et ut repleto spatio ciborum reliquiae excludantur.

Alia odontalgiae species a vitio ipsius dentis est, defectus crustae illius vitreae, quae externam dentis superficiem efficit. Deficit haec, laediturque diversas ob causas: scilicet: 1) ob abusum acidorum, austerorum; 2) ob abusum pulverum dentifriciorum; etenim pulveres hi saepe ex acribus, et ex terreis immixtis parati, solummodo tunc utiliter adhibentur, quando materies mucosa circa dentes collecta inspissatur, et in terram calcaream, crustamque abit denti ipsi multifarie noxiam. Gluten hoc dentium, indeque natus tartarus pulveribus dentifriciis apte tollitur; at hi ipsi pulveres puris alioquin dentibus frequenter ad-

plicati, partem dentium vitream laedunt, auferunt; 3) perit haec crusta subinde a vitio ignoto, acri quodam intra corpus latente. Molesta, etsi non valde dolorifica haec odontalgiae species est, frigida, calida, quin ipse solus aër difficulter ad dentes admittitur, et non sine ingrata illa sensatione. Quid factitandum? respondeo; cum crusta haec vitrea nunquam reparetur posthac, vix hic auxilium ullum superest; quod si vero unicus tantummodo hoc vitio laboraret, mortificandus ille esset acerrimo et concentratissimo vitrioli acido, ut sensus omnis posthac auferatur. At flavescet brevi dens mortificatus, et frustulatim, quamvis absque dolore, excidet; id remedii uti perferri in unico dente potest, neutiquam tamen ad multo plures, vel omnes etiam transferri potest.

Superest, ut odontalgiam contemplemur a vitio partium remotarum oriundam: sic datur 1) odontalgia consensualis, sympathica, ubi vitium in uno dente est, et dolor in alio per se non affecto. Odontalgia haec sympathica in variis cephalalgiae et cephaleae speciebus observatur. Prodest hic causam principem tollere; 2) odontalgia bilioso-putrida a vitio ventriculi male digerentis, laxique. *Baglivius* inter signa ventriculi debilis reponit dentium dolorem, et pravum eorundem habitum. Fit enim, ut prava hac ventriculi dispositione mala humorum affectatio fiat, hinc cacohymia, cachexia, quae omnino fere primo gingivas afficit. Sed et viceversa, quemadmodum imbecillitas ventriculi, et laesa eius coctio odontalgias chronicas producit, sic etiam frequen-

ti

ti odontalgia masticationem impedit, facit, ut alimenta haud bene subacta in ventriculum dimittantur; hinc sensim ventriculus, et totum denique corpus laeditur. Dentium nitor, integritas, et bonus gingivarum habitus non contemnendum signum est, et ventriculi boni, et sanitatis per omnia integrae; 3) alia a partibus remotioribus oriunda odontalgia est, quam hystericam appellamus; haec incertis temporibus abit, reditque, una cum reliquo symptomatum hystericorum comitatu, partemque constituit paroxysmi hypochondriaci aut hysterici. Cura antihysterica alibi explicata hic convenit; 4) odontalgia alia aliunde, quam ab ipso dente vel partibus illum ambientibus nata est, quae a vitio primarum viarum bilioso provenit, etenim ab eadem causa biliosa, pituitosaque anginas, ophthalmias experimur, sic etiam odontalgia nascitur aut continua, aut remittens, aut intermittens, prouti genius ipsius febris fuerit. Remedia hic ipsi opponenda febri sunt, qua sublata dolor dentium suapte disparet. Medela hic fere omnis intra solventia, eccoprotica, emetica, et corticem peruvianum consistit.

Explicatis quibusdam odontalgiae speciebus (reliquos enim dentium morbos dentistis relinquimus) pauca quaedam addere iuvat de iis, quae dentis exstirpationem subinde sequuntur. Huc pertinet 1) haemorhagia ab arteriola dentis abrupta. Haec enim, utpote ad canalem osseum religata, contrahere se nequit. Iuvant bacilli ex fungo agarico, vel et ex cera formati; fit etiam post extractionem

dentis ex gingivis in scorbuticis. Saturata solutio aluminosa, vel et ferrum candens indicatur; 2) abscessus post extractionem ab inflammatione in alveolo nata; 3) vitium maxillae diffractae. Frusta cohaerentia digitis ad se invicem apprimenda sunt; secus eximenda. Fit hoc infortunium multiplici ex capite; 1) ob divaricantes dentium radices; 2) ob id, quod dentes plures circa radicem sibi invicem cohaereant, unianturque, aut cum ipsa maxilla; 3) ob modum quo dens extrahitur. Nam si vulgari illo instrumento extrahatur, quod clavem anglicanam appellant, dens plerumque extrorsum ad latus urgebitur, et hac ratione exstirpabitur. Hinc cl. *Aitkin* aliud instrumentum excogitavit, quod dentem sursum maxime, et modicissime tantum extrorsum urgendo extrahit.

SYNOPSIS.

I.

SCORBUTUS.

Adaequata scorbuti definitio non datur, sed collectio tantum multorum symptomatum in unam summam diagnosin morbi suppeditat.

Symptomata alia *essentialia*; alia *variabilia*, horumque ratio.

Symptomatum essentialium scorbuti successio, indeque nata scorbuti divisio *ratione stadii*:

Scor-

Scorbutus nascens.
Scorbutus increscens.
Scorbutus adultus.
Scorbutus consummatus.

Causae scorbuti:
praedisponentes,
occasionales,
proxima iuxta celeberr. Hoffmann.

Aliae scorbuti divisiones:
acutus, chronicus,
originarius, secundarius,
terrestris, maritimus.

Cura:
Diaeta antiscorbutica,
removendae causae occasionales,
remedia antiseptica:
acida vegetabilia: acida min. dulc.
acida mineralia,
plantae amarae,
antiseptica aromatica,
plantae antiscorbuticae,
aqua calcis,
martialia,
quaedam circa usum horum remediorum notanda.

Graviora scorbuticorum symptomata:
virtus antiscorbutica aliorum remediorum tentanda.

Formulae quaedam.

II.

RACHITIS.

Antiquitas huius morbi,
Morbus infantilis.

Sym-

Symptomata potiora:

compages ossea praeprimis afficitur,
mentis conditio varia,
incrementum corporis praecox,
alia rachiticorum symptomata,
an morbus febrilis?
cadaveris conditio.

Rachitidis divisio:

acquisita, haereditaria,
originaria, deuteropathica,
endemica, epidemica,
connata.

Causae praedisponentes et excitantes.

Causa proxima; opiniones variae:

siphylis larvata,
acidum praedominans,
miasma peculiare,
praeternaturalis mollities compagis osseae.

Methodus medendi:

auferendae causae remotae,
remedia tonica.

Formulae.

III.

SCROPHULAE.

Scrophularum descriprio,
Quomodo a scirrho et struma dignoscendae?
Morbus puerilis aetatis.
Causae remotae.
Causa proxima.
Scrophularum divisio:

protopathicae, deuteropathicae,
internae, externae,
indolentes, inflammatae, suppuratae,

can-

cancrosae,
verae, larvatae.
Scrophularum larvatarum formae:
ophthalmia scrophulosa,
crusta lactea,
labii superioris tumor,
herpes,
atrophia,
phthysis scrophulosa,
achores,
tinea.
Cura scrophularum in genere:
causae remotae, removendae,
victus restaurans,
solventia, resolventia,
formulae quaedam.
Cura scrophularum larvatarum.
Ophthalmia scrophulosa:
unguentum ex mercurio praecipitato rubro.
Tumor labii superioris:
eo evanescente saepe oriuntur, scrophulae.
Crusta lactea:
discrimen inter crustam lacteam et morbum scrophulosum solum *accidentale*.
facilius curatu, quam scrophulae,
signa crustae lacteae praeeunte Strackio.
Divisio:
haereditaria, acquisita.
Reliquiae crustae lacteae.
Retrocessio crustae lacteae.
Cura:
lac vitiosum nutricis corrigendum,
purgantia rhabarbarina,

incidentia, diaphoretica, alterantia,
specificum *Strakii*: Iacaea tricolor.

Herpes:
male adplicantur saturnina.

Atrophia:
causae emaciationis.

Phthysis scrophulosa:
morbus immedicabilis.

Achores:
diversa huius morbi nomina
prodromi achorum,
scrophulas saepe solvit; etiam alios morbos,
noxae a retropulsis achoribus.
canon practicus in cura achorum,
interna remedia.
externa remedia.

Tinea:
discrimen ab achoribus,
remedia varia, interna et externa.

I V.

HYDROPS.

Anasarca, particularis.
Calidus, frigidus.
Causae hydropis generaliores:
sexus,
evacuationes sanguinis nimiae,
chlorosis,
febris intermittens,
abusus potuum aquosorum tepidorum
potus spirituosus,
diaeta relaxans,

vita sedentaria,
haustus frigidae aestuante corpore,
evacuationes suppressae,
scabies, achores retropulsi,
dysenteria,
hydrops,
graviditas,
obstructiones hepatis,
motus sanguinis per vasa maiora impeditus.

Indicationes:
causae remotae tollendae,
aquae evacuandae.

Causa proxima hydropis.

ANASARCA.

Symptomata anasarcae.

Varia medendi methodus:
per purgantia,
per vomitoria,
per diuretica,
squilla,
conditiones sub quibus squilla danda,
incommoda squillae,
correctiones squillae,
modus exhibendi squillam,
praeparata squillae,
diuretica alia,
per solventia, resolventia,
per sudorifera,
per vulnera externa,
erodendo,
incisione,

sca-

scarificatione cutanea, incruenta,
setaceo,
fonticulo,
per frictiones,
balneo crurum,
ligatura,
methodo antiphlogisica,
caeli mutatione,
paracentesi.

HYDROTHORAX.

Sedes.

Causae peculiares:
venae sectio frequens,
pulmo infarctus,
peripneumonia,
asthma,
hepar obstructum,
oedema crurum fasciis profligatum,
ulcera crurum intempestive clausa,
scabies retropressa,
podagra actu frigidis retropressa.

Symptomata et signa.

Curatio: praeter curam iam expositam, notanda:
catharticis exacerbatur,
leves scarificationes ad malleolum conveniunt.
metus suffocationis: aeger lecto eximendus.
an in hoc casu v. s.?
paracentesis quando locum habet
concussio thoracis, ut signum,
pulsatio thoracis cl. *Avenbrugger* quid doceat?

TYM-

TYMPANITES.

Definitio tympanitidis.
Diagnosis.
Sedes.
Species varia.
Cura ex notione causarum morbificarum.
Monita et praecepta de Hydrope.

V.

LUES SIPHYLITICA.

Communissímus morbus.
Morbi antiquitas.
Serius innotuit:
- gonorrhaeae nexus cum coitu impuro,
- gonorrhaeae connexio cum lue universali,
- ipsa lues tanquam morbus specificus.

Proprietates veneni siphylitici.
Communicatio luis:
- coitu,
- contactu,
- lactatione,
- semine.

GONORRHAEA.

Triplex gonorrhaeae stadium:
- infectionis,
- inflammationis.
- resolutionis.

Dantur gonorrhaeae etiam non venereae.
Erroneae opiniones circa gonorrhaeam:
- materiam effluentem esse semen,

eam

eam esse pus verum,
esse semper ulcus,
discrimen inter materiam *gonorrhaeicam* et *luosam*.

Divisio gonorrhaeae:
ratione stadii,
a tempore, habitualis,
humida, sicca,
gonorrhaea glandis.

Curatio, in stadio inflammatorio:
methodus antiphlogistica,
noxiae curationes fiunt,
iniectionibus adstringentibus,
therebinthina et balsamicis interne assumptis.
purgantibus,
diureticis acrioribus,
manustupratione,
repetito coitu.

Curatio in stadio exsiccationis:
roborantia, tonica interna et externa.

Fluxus diuturnior materiae benignae in hoc stadio.

Eiusque ratio duplex.

Symptomata graviora gonorrhaeae.
ardor inter mingendum,
urinae suppressio,
dolorifica penis erectio,
phymosis,
paraphymosis.

Gonorrhaea muliebris.

Symptomata gonorrhaeae gravioris aut neglectae.
varia mictus vitia, eorumque causae,
testis venereus,

bu-

bubo,
cancer venereus,
condylomata.

Luis universalis symptomata:

maculae venereae,
herpes,
scabies,
fissurae,
panniculus adiposus induratus,
ophthalmia,
ophthalmia recens natorum,
maculae corneae,
cataracta venerea,
surditas,
coryza,
ozaena,
angina venerea,
tophus,
caries,
spina ventosa,
scrophulae,
rheuma venereum,
febris venerea.

METHODUS MEDENDI LUI UNIVERSALI.

Methodus medendi, quae mercurio utitur:

externe,
interne,
methodus mixta.

Frictio mercurialis:

modus frictionis,
cautelae in inunctione,
sequelae inunctionis,

quibus hominibus convenit ?
in quibus contraindicatur ,
obiectiones contra inunctionem .
Balneum mercuriale .
Methodus Plenkiana.
Usus mercurii dulcis .
Usus mercurii sublimati :
incommoda ,
commoda huius methodi.
Methodus mixta .
Notanda circa ptyalismum .
Alia praeter mercurium antisipyhlitica :
Formulae .
Monita et praecepta .

V I.

CONVULSIO.

Spasmi definitio .
Spasmi divisio .
Convulsio .
Convulsionis divisio multiplex .
Prognosis .
Causa praedisponens convulsionis .
Causarum excitantium classes :
inanitio ,
repletio ,
irritatio .
Cura morborum nervosorum .
causa excitans removenda .
irritabilitas imminuenda .
Remedia nervina celebratiora :
opium ,
Moschus ,

cas-

castoreum,
gummi ferulacea,
foetida et empyreumatica,
cortex peruvianus,
viscum quercinum,
hyosciamus, stramonium,
radix valerian. minor. et maior,
folia aurantiorum,
ipecacuanha,
flores zinci.

V I I.
MORBI INFANTUM.

Morbi externi recens natorum.
Asphixia.
Lactatio.
obligatio matrum infantes lactandi,
impedimenta lactandi,
ex parte matris,
ex parte infantis,
electio nutricis.
Cura infantis absque nutrice educandi.
Alvus rara.
convulsiones internae (nostratibus, *stille Fraisen*).
Exulcerationes.
Herniae.
Aphtae.
Tormina.
Convulsio.
Causae eclampsiae infantilis:
meconium retentum,
alvus difficilis,
tormina,
terror aut ira nutricis,
febris incipiens, praecipue variolae,

opium assumptum,
dentitio difficilis,
dolor quicnuque gravior,
inanitio quaecunque,
vermes.

Alvi fluxus varius:

a vitio matris vel nutricis,
diarrhaea saburralis,
a laxitate intestinorum,
a perfrigeratione,
dysenteria,
diarrhaea dentientium,
diarrhaea aphtosorum.

Vermes.

in variis corporis partibus inventae,
variae species vermium,
ascarides,
lumbricus teres,
taenia,
ascaris lumbricodes,
trichurides Roedereri,
quibus modis morbos faciunt,
febris verminosa,
symptomata verminosorum,
diaeta verminosorum,
remedia varia contra vermes.

Atrophia.

Rachitis.

Tussis:

convulsiva,
catharralis,
stomachica.

Febris infantum intermittens.

Morbi cutanei:

scabies,

crusta

crusta lactea ,
loca exulcerata ,
achores ,
tinea ,
lentigines ,
herpes ,
naevi ,
furunculus ,
verucae .

Hydrocephalus .

VIII.

TUSSIS CONVULSIVA.

De natura tussis convulsivae .

Divisio tussis convulsivae epidemicae :
epidemica - idiopathica ,
epidemica - sympathica ,
epidemica - composita .

Variorum medicorum methodi .

Stollii methodus .

Quaestiones variae .

IX.

DE OFFICIO MEDICI.

Officium medici erga se ipsum .

Erga aegrotum , et aegroti propinquos

Erga collegas .

Se ipsum et suos curantis .

Quidam medicorum errores .

X.

MORBI QUIDAM CAPITIS

Cephalalgia .
divisio cephalalgiae :
idiopathica , sympathica ,
originaria , symptomatica ,
causae frequentiores ,
sanguis ,

serum,
pituita,
solidorum vitia intra calvariam,
materies siphylitica,
prognosis.
Cura: remedia celebratiora,
herbae cephalicae,
arteriotome,
salivatio mercurialis,
vesicans,
terebratio,
embrocatio ec.
Vertigo.
divisio vertiginis, eiusque causae,
plethoricorum,
hypochondriacorum,
ex inanitione,
lactantium,
post graves capitis morbos,
inebriatorum,
a bile,
verminosorum,
a gravi tristitia,
ab esu venenatorum fungorum,
a fumo carbonum,
a cubiculo recenter incrustato.
Apoplexia.
Definitio apoplexiae,
Divisio:
sanguinea, serosa, pituitosa,
fortis, debilis,
hysterica,
periodica,
idiopathica, sympathica,
frigida, calida.

ophthalmia symptomatica.

Amaurosis.

Divis. amauros.

continua, intermittens,

idiopathica, sympathica,

originaria, symptomatica.

Prognosis.

Cura.

Amaurosis ficta.

Odontalgia.

Divisio a causis,

A vitio gingivarum, partiumque dentem ambientium:

serosa odontalg.

inflammatoria,

scorbutica,

venerea,

cacochymica,

a gingivarum laxitate, et evanescentia,

a vitio maxillae superioris.

A vitio ipsius dentis,

caries dentis,

humida, sicca,

cariei causae,

cura.

defectus crustae vitreae,

defectus huius causae.

A vitio partium remotarum,

consensualis,

a mala digestione,

hysterica,

biliosa,

continua, remittens, intermittens.

Sequelae post dentis extirpationem.

FINIS.